337

TRACTATVS
DE
DIVINI VERBI
VTILITATE, VIRTVTE, EFFICACIA, ET NECESSITATE.

NVMERO QVARTVS.

EX EIVSDEM DOMINICI TVSCHI
Ciuis Regienſis lucubrationibus.

Cenſuræ Sacroſanctæ Matris Eccleſiæ humillimè exhibitus, & commendatus, vt eius illuſtratus lumine Sanctiſſimæ conſecretur veritati ad Dei Triniunius gloriam. Amen.

BONONIÆ, M.DC.LXV.

Typis Hæredis Victorij Benatij. Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

E*Xpedito tractatu de Liberi Arbitrij noſtri viribus, & virtute Diuinæ gratiæ, mutuoq; vtriuſq; concurſu medijs tanquam noſtram antecedenter præparantibus, & diſponentibus animam ad ſanctam illam acquirendam vitæ nouitatem, ſine qua Deum videre nemo poteſt, & quem vt videremus, eiq; in ſanctitate ſeruiremus ab initio à Deo prædeſtinati fuimus* Iſa. cap. 54. num. 17. Apoſt. ad Rom. cap. 8. nu. 29. Ad Epheſ. cap. 1. num. 4. cap. 4. num. 24. 2. ad Cor. cap. 5. num. 17. Ad. Heb. cap. 12. num. 14. *Ad quam ſanctitatem cum non, niſi medio peruenire valeamus fidei, cum ei ſine fide placeamus impoſsibile ſit* Apoſt. ad Heb. cap. 11. num. 6. *fideſq; oriatur ex auditu, audituſq; huiuſmodi fiat per verbum Dei, per quod & ſanctificamur* Apoſt. ad Rom. cap. 10. num. 17. Ad Heb. cap. 3. nu. 15. & 18. Io. cap. 17. nu. 17. *Hinc etiam manifeſtè patet, quod hoc ſubſequente loco ordi-*

Digitized by Google

ordine quarto de Diuino ſit tractandum Verbo, de cuius Vtilitate, Virtute, Efficacia, & neceſſitate pro viribus diuina auxiliante gratia verba facturi ſumus, quod, vt rectè fiat, faciat Deus, à quo cuncta bona recipimus.

Amen.

Digitized by Google

DE DIVINI VERBI VTILITATE, VIRTVTE, EFFICACIA, ET NECESSITATE.

SI quæcumq; facta ſunt, & fiunt per viuens Verbum Dei facta ſunt, & fiunt, prout verè facta fuerunt, & fiunt omnia, *Prou. c.8.nu.30. Io.c.1.nu.3.* eorum per conſequens omnium, quæ facta fuerunt, & fiunt ab eo effluxerit, & effluat eſſe, & vita, neceſſe eſt: *Eccl. c.4. nu. 12.c.24.nu.25.* ab eo autem ſi effluxerit, & effluat vita, in eo etiam ipſa ſemper fuerit,& ſit vita, conſequens eſt: ſcriptum propterea eſt: *Quod in ipſo ipſa erat in principio vita, Io. d.c.1.nu.4. Eccl. d.c.24.nu.25.* Si autem ab æterno, & in æternum in ipſo conſtanter fuit, eſt, & erit vita, ab eoq; effluxerit, & effluat ſemper, ſit & ipſum ipſa in æternum viuens, & permanens vita, neceſſe eſt; *Io.c.14.nu.6. & ſua P. c.1. n.2. & 3. cap.5.nu.18. Deut. c.30.nu.20.* Deus enim Pater ab æterno in ſemetipſo æternam habens vitam ab æterno, ſua quæ ſunt omnia, dans æterno Verbo ſuo, æternam quoq; dedit ei in ſemetipſo habere vitam: *Io.c.5.nu.26. c.16.nu.15. c.17.nu.10. Mat.c.11.nu.27.* Vitam verò hanc à Patre acceptam, vt propriam in ſemetipſo habens Verbum hoc ſe ipſum nobis dans, nobis quoq; dat in nobis habere vitam: *Io.c 6.nu.54 55.& ſua P.c.1. nu.2.& 3.c.5.nu.18.* Quemadmodum verò Verbum hoc à Patre vitam accipiens dicitur viuere, & viuit propter Patrem, ſic & nos ab iſto Verbo vitam ſic, vt ſupra, accipientes dicimur viuere, & viuimus propter illud: *Io.c.6.nu.58.& ſua P.c.4.nu.9.* Propterea, qui in ſe Verbum hoc habet, vitam quoq; habet, illud qui non habet, vitam

quoq;

Digitized by Google

quoq; non habet, quia illud noſtra eſt verè vita, noſtra quidem, non tamen propria, quia ab ipſo dependens eſt, & gratuita: *Io. cap. 14. nu. 6. & ſua P. c. 5. nu. 11. 12. & 18. d. c. 1. nu. 1. 2. c. 4. nu. 9. Mat. c. 8. nu. 22. Luc. c. 9. nu. 60.* iunctis *Io. c. 8. nu. 12. Apoſt. 1. ad Cor. c. 1. nu. 28. Eſth. c. 14. nu. 11.* Verbum ergo hoc ſi eſt potentia vitæ, & vita metipſa, vt ex ſuperius allegatis patet, & *Act. Apoſt. c. 4. nu. 12. Apoc. c. 1. nu. 8. & 18. c. 3. nu. 7. & 14. Iob. c. 12. nu. 13. & 14. Iſa. c. 22. nu. 22. Io. c. 10. nu. 28.* noſtra hæc conſequenter vita non apud nos, ſed apud ipſum reſidet, quia in ipſo natura, in nobis verò ex gratia ſolum moratur: *Pſal. 35. nu. 9. & 10. Pſal. 38. nu. 8. Deut. d. c. 30. nu. 20.* re ergo vt ſimus, & viuamus in hac vita, apud ipſum ſimus, oportet, quoniã vt verè ſimus, & viuamus ab ipſa non poſſumus abeſſe vita, quæ ſicut in ipſo eſt, in ipſo ſic ſimus, viuamus, & moueamur oportet. *Io. d. c. 1. n. 4. Mat. c. 12. nu. 30. Luc. c. 11. nu. 23. Io. c. 15. nu. 4. & 5. Act. Apoſt. c. 17. nu. 28.* Cum verò hæc vita noſtra ſit ipſa cum ipſo ſocietatis vnio, & vnio hæc mutua ipſius in nobis, & noſtri in ipſo permanſio. *Apoſt. 1. ad Cor. c. 1. nu. 9. c. 6. nu. 17. Ad Rom. c. 8. n. 9. Io. c. 17. n. 20. 21. 22. & 23. & c. 15. nu. 4. & 5. & ſua P. c. 1. nu. 6.* conſequenter etiam ab hac mutua permanſione quicumq; ſolutus fuerit, huius actum, ſeù fructum vitæ poterit ferre nullum, quia ſine ipſa, & vitæ huius caret potentia, & vita metipſa, ideò tanquam palmites à vitæ exciſi mittentur foràs, colligent eos, in ignem proijcient, & ardent: *Io. d. c. 15. n. 4. 5. & 6 Mat. c. 12. nu. 30. c. 3. nu. 10. c. 13. nu. 30. Luc. c. 11. nu. 23. c. 3. nu. 9. Iſa. c. 54. nu. 17.* in ea autẽ qui permanſerint, hanc vitam viuent, & quodcumq; petierint, Verbum iſtud; quod in ipſis permanet, hoc faciet illis, *Io. d. c. 14. nu. 13. & 14. c. 15. nu. 7.* quoniam ipſum eſt creaturæ Dei principium, potentia, & vita omnia in omnibus operans; atque vno vt omnia claudamus verbo, ipſum eſt omnia in omnibus, & quicumque huiuſmodi ſunt, in ipſo ſunt, mouentur, & viuunt: *Apoc. c. 3. nu. 24. Io. d. c. 14. nu. 6. Eccl. c. 24 nu. 25. Sap. c. 8. nu. 4. 5. & 6. Apoſt. ad Coloſ. c. 3. nu. 11. Ad Gal. c. 3. nu. 5. Act. Apoſt. d. c. 17. nu. 28.* Mutuus autem vt iſte alterius in altero formetur permanſionis contactus, vt ipſe ad nos accedere dignetur, & nos viceuerſa ad eum accedamus oportet: *Io. P. c. 1. nu. 2. & 7. c. 4. nu. 9. & 10. & alijs all.* Ipſe autem ad nos accedere, in nobiſq; habitare, & permanere dignatur per ipſam fidem: *Apoſt. 2. ad Cor. c. 13. nu. 4. & 5. Ad Gal. c. 2. nu. 20. c. 3. nu. 26. Ad Epheſ. c. 3. nu. 17. Oſe. c. 2. nu. 20.* Ad eum verò & nos per eamdem fidem acceſſum habemus, *Apoſt. ad Eph. d. c. 3. nu. 12. Io. cap. 5. nu. 4. c. 6. nu. 29.*

ſe

Digitized by Google

ſe enim exquirenti non poteſt ſe ipſum negare, quoniam benignus, & fidelis eſt; Apoſt. 2. ad Timot. c. 2. nu. 13. eum autem per ipſam exquirimus fidem. *Sap. cap. 1. nu. 2. Eccl. c. 4. nu. 12. & 17.* Mutuæ igitur huius alterius in altero baſis, & fundamentum permanſionis ipſa eſt fides, ſine qua ad eum accedere, eiq; placere non poſſumus, *Apoſt. ad Heb. c. 11. nu. 6.* Fides verò per diuini auditum exſuſcitatur verbi, *Apoſt. ad Rom. cap. 10. nu. 17. Ad Eph. cap. 3. nu. 6. Ad Heb. c. 3. nu. 7. 18. & 19. c. 4. nu. 2. Iſa. c. 55. nu. 3. Io. c. 3. nu. 36. c. 4. nu. 50. & 53. c. 5. num. 46. & 47. Act. Apoſt. c. 10. nu. 36. & 37. c. 11. nu. 14. & 15.* ſiuè voce, ſiuè viſu, ſiuè mentis illuminatione percepti: *Iſa. c. 52. nu. 15. Apoſt. ad Rom. c. 15. nu. 21. Io. cap. 20. nu. 29.* Sicut autem vt credatur, audiatur neceſſe eſt, *Apoſt. ad Rom. d. c. 10. n. 14. & 17. Deut. c. 6. n. 7. c. 11. n. 18. cap. 18. n. 18. & 19. Act. Apoſt. c. 10. nu. 42. & 43. c. 11. nu. 14. 15. 16. c. 20. nu. 24.* ſic vt audiatur, tradatur oportet. *Ezech. c. 3. nu. 17. 18. & 20. cap. 33. nu. 6. 7. 8. Apoſt. ad Rom. d. c. 10. nu. 14. P. ad Cor. c. 9. nu. 16. 2. ad Tim. c. 4. nu. 5.* Cum autem omnes filij iræ naſcamur. *Apoſt. ad Eph. cap. 2. nu. 3.* Regnum Dei videre vt valeamus, denuo naſcamur oportet, *Io. c. 3. num. 3.* initium autem generationis huius plaſmatur à Deo in verbo veritatis, *voluntariè enim genuit nos Deus verbo veritatis, vt ſimus initium aliquod creaturæ Dei, Iac. cap. 1. nu. 18. Apoſt. ad Eph. cap. 3. nu. 6.* veritatis autem verbum euangelicum eſſe verbum docemur ab *Apoſt. ad Eph. cap. 1. nu. 13. Ad Coloſ. cap. 1. nu. 6.* quod & vitæ dicitur verbum, *Io. 1. c. 1. nu. 2.* quoniam Chriſtus Dominus noſter, qui illius fuit auctor, principium, & promulgator, æterna eſt veritas, & vita, qui paternorum verborum alloquendorum fuit principium, atq; Euangeliſta primus. *Pſal. 118. nu. 160. Deut. cap. 18. nu. 18. & 19. Iſa. c. 41. nu. 27. Io. c. 8. nu. 25. 26. 32. 36. 46. & 47. cap. 14. num. 6.* Sicut ergo vt Deo ſine fide placeamus, impoſſibile eſt, quoniã noſtri eſt ad Deum acceſſus, amicitiæ, & deſponſationis principium. *Apoſt. ad Heb. cap. 11. nu. 6. Ad Eph. cap. 3. nu. 12. Sap. cap. 7. nu. 14. Oſe. cap. 2. nu. 19.* Sic pro noſtro regulari fidei principio ex Diuina diſpoſitione, diuinum fuit nobis aſſignatum verbum, quod audiamus, oportet; quia ſi fides diuino eſt credere verbo, ei vt credamus, illud audiamus, neceſſe eſt, quoniã ei, quod non auditur, fides exhibeatur impoſſibile eſt, *Apoſt. ad Rom. cap. 4. nu. 20. & 21. c. 10. nu. 14. & 17. P. ad Cor. cap. 1. nu. 21. Deut. d. c. 18. nu. 18. & 19. Iſa. c. 8. nu. 20. 21. & 22. c. 53. nu. 11. c. 59. nu. 21. Dan. c. 9. nu. 11. Mich. c. 5. nu. 14. Mat. c. 10. nu. 14. & 15. Mar. c. 6. nu. 11. Io. cap. 8. nu. 46. & 47. c. 10. nu. 16. & 27. Eccl. c. 4. nu. 30. Reg. 4.*

cap. 7.

Digitized by Google

cap.7. nu.2. 19. & 20. & infinitis alijs Scripturæ locis; noſtræ ergo in nobis principium fidei ipſe eſt diuini auditus verbi. *Pſal. 17. num. 45. Apoſt. ad Rom. d.c. 10. nu. 17.* Sicut igitur ſine diuini auditu verbi ſecundum hanc ordinariam à Deo conſtitutam introducendæ fidei diſpoſitionem noſtra exſuſcitetur fides, impoſſibile eſt, *Apoſt. ad Rom. d.c. 10. nu. 14.* ita abſq; diuino verbo, diuini queat percipi auditus verbi, eſt quoq; impoſſibile, huicq; à nobis propoſito exaduerſo contrarium dicto, quia diuinum verbum re eſt principium diuini auditus verbi, huiuſmodiq; aſſerti ſubſtantia dicti, *Apoſt. ad Rom. d. c. 10. nu. 17.* diuini enim non eſſet auditus verbi, niſi quod auditur, diuinum eſſet verbum, è contra verò, à noſtro vt queat auditu diuini percipi auditus verbi, diuinum neceſſe eſt noſtris offeratur auribus traditione verbum: *Apoſt. ad Rom. d.c. 10. nu. 14. Pſal. 43. nu. 1. & 2. Deut. c. 4. nu. 36.* Sicutq; ad hunc diuini percipiendum auditum verbi ipſa Diuini eſt neceſſaria traditio verbi, ſic, & multo magis ex antecedenti ſuppoſito neceſſario, ac ex interno principio, ex quo diuini conſtat traditio verbi, neceſſe eſt, vt huiuſmodi traditio diuinum contineat verbum, alioquin ſi diuino eſſet abſq; verbo, diuini non poſſet dici, nec eſſet traditio verbi, quia ſicut diuino eſt neceſſariò credendum verbo. *Mar. c. 1. nu. 15. cap. 6. nu. 11. cap. 16. nu. 15. & 16. Mat. cap. 10. nu. 14. Luc. c. 1. nu. 11. 18. & 20. cap. 9. nu. 5. cap. 10. nu. 11. 12. & 13. Deut. d. c. 18. & 19. & alijs ſuperius allegatis auctoritatibus*, ſic, vt credatur, præcisè tradatur, neceſſe eſt, *Apoſt. ad Rom. d.c. 10. nu. 14. Deut. c. 6. nu. 7. c. 11. nu. 18. cap. 18. nu. 18. & 19. Act. Apoſt. c. 4. nu. 4. c. 10. nu. 42. & 43. cap. 11. nu. 14. 15. 16. cap. 20. nu. 24.* Dei enim verbum, illius traditio, auditus, audientis acceptio, & fides, ſe inuicem habere videntur, vt ſemen, ſatio, ager, & ſeminis germen, nam quemadmodum non prius in agro pullulat ex ſemine germen, quam ſatũ, agroq; receptum fuerit ipſum ſemen; diuini ſic non prius in mente noſtra orietur ex ſemine verbi ſanctum fidei germen, quam à præannunciantis fuerit traditione ſparſum, audientiumq; auribus oblatum, in illorumq; corda voluntariè receptum. *Mar. c. 4. nu. 14. Luc. c. 8. nu. 12. Io. cap. 4. nu. 50. cap. 5. nu. 38. & 43. c. 12. nu. 48. Act. Apoſt. c. 11. nu. 14. & 15. cap. 20. nu. 24. Apoſt. ad Rom. c. 10. nu. 14. & 17. Ad. Heb. c. 3. nu. 15. c. 4. nu. 2.* Sicut ergo regulariter horum vnumquodq; ad actualiter exſuſcitandam fidem neceſſarium eſt, vno ſic eorum deficiente regulariter quoq; ad actum non deducatur, conſequens eſſe videtur: Diuini ergo non data traditione verbi, ipſe etiam non detur auditus verbi,
Digitized by Google

verbi, conſequens eſt, quia, vt dictum fuit, illa neceſſarium eſt antecedens, & immediatum auditus auris audientis principium, & cauſa, *Apoſt. ad Rom. d. c. 10. nu. 14. Pſal. 17. num. 45.* & ita gradatim per reliqua, quæ dicta ſunt eſſe neceſſaria ad introducendam fidem, diſcurrentes, & ratiocinantes media, nam diuini non dato auditu verbi, illius nec voluntaria ſequi poterit cordis acceptio, quoniam acceptionis huiuſmodi eſt ille neceſſarium antecedens, & immediatum principium, & cauſa, *Apoſt. ad Rom. d. c. 10. nu. 17. Iſa. c. 55. num. 3.* diuini ſubſequenter non data voluntaria acceptione verbi, ipſe nec detur fidei ortus, conſequens eſt. *Apoſt. ad Heb. d. c. 4. n. 2.* diuinum ſic ſi datum non fuiſſet, vel daretur verbū, quod tradi, & promulgari poſſet, prædicta non ſolum, ſed reliqua ad conſequendam ſalutem neceſſaria deficerent, conſequēs eſſet, quoniam *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, Apoſt. ad Heb. c. 11. n. 6.* immo illo non dato eorum, in natura quæ ſunt, daretur nihil, quia illorum omnium eſt præcipuum, & formale principium, potentia, actus, & forma, ac omnium omninò ſemen rerum, nam, quæcunque voluit Deus, ſuo protulit verbo, & ipſa repente prodierunt, ipſo enim dicente creabantur, & fiebant omnia, *Pſal. 32. nu. 6. & 9. Pſal. 147. nu. 5. Iſa. c. 55. n. 11.* quià *verbum Dei eſt opus perfectum, Eſd. 4. c. 6. nu. 38. Mat. c. 8. nu. 3. Mar. c. 1. nu. 42. Luc. c. 5. nu. 13. Sap. c. 16. nu. 12. & 26.* actuſq; rem ad ſuam propriam deducens formalitatem: Dixit enim Deus, *Fiat lux, & facta eſt lux*, ſi ergo ipſo dicente facta eſt lux, à quanam enim potentia ad formalitatem actu educta fuit lux, niſi ab ipſa prolatione, & efficacia diuini verbi dicentis: *Fiat lux? Gen. c. 1. nu. 3. Iſa. d. c. 55. nu. 11.* cætera ſic, quæ extiterunt, eadem extiterunt diuini virtute, & efficacia verbi, & quæ perierunt eodem fuerunt repoſita verbo, *Pet. 2. c. 3. nu. 5. & 7.* quia, vt dictum eſt, verbum Dei omnium eſt ſemen, actus, & forma rerum, horum autem omnium potiſſima vna hæc eſt ratio, quia *Sermo Dei omnipotens eſt. Eccleſ. c. 8. n. 2. & 4. dd. Pſal. 118. n. 140. & Pſal. 148. nu. 5. Num. c. 20. nu. 8. Ezech. c. 37. nu. 4. 7. 10. & 14. Math. c. 21. nu. 19. Marc. c. p. nu. 27.* quoniam *ab omnipotentis proceſſit ore: Sap. c. 11. nu. 18. c. 18. nu. 15. Iſa. c 46. nu. 11. c. 55. nu. 11. Apoſt. 1. ad Cor. c. 14. nu. 36.* propterea, *Iſa. c. 51. n. 16.* dixit: *ego poſui verba mea in ore tuo, vt plantes cælos, fundes terram, & DICAS Sion: populus meus es tu*, quoniam hoc ex ore tanquam Domini prolato ſtatim opere complebitur, quia *verbo eius fundata eſt terra, firmati ſunt cæli, & quæ perierunt repoſita, atq; inſtaurata ſunt omnia, quæcumq; enim dixit facta ſunt d. Pſal. 32. nu. 6. & 9. Pet. 2. c. 3. num. 6. & 7. Eccl. c.*

Digitized by Google

39. *nu.* 22. 23. *&* 37. verbum enim illius ad eum non reuertitur vacuum, ſed operatur omnia, ad quæ miſit illud: *Iſa. d. c.* 55. *nu.* 11. quod, & vt nobis clarius innoteſceret, eiuſdem *Iſa. c.* 44. *nu.* 26. 27. *&* 28. pro eo, quod diceret: ego faciam hoc, vel illud, dicit: *Ego ſum qui dico: Ieruſalem habitaberis, & Ciuitatibus Iudæ: ædificabimini, & deſerta eius ræedificabo: qui dico profundo: deſolare: & flumina tua areſaciam: qui dico Cyro: paſtor meus es tu: omnem voluntatem meam implebis: qui dico Ieruſalem: ædificaberis: & templo fundaberis*: vt per huiuſmodi intelligeremus, quod omnipotens ſermo eius eſt ille, qui operatur omnia: *Sap. d. c.* 18. *nu.* 15. quoniam omnis eſt actus, & forma rei *Iac. c.* 1. *nu.* 18. *Pet.* 1. *c.* 1. *nu.* 23. *&* 25. nam ſi forma ipſa eſt rei perfectio, omniſq; perfectio rei ipſe eſt ſermo Dei, conſequens eſt etiam, vt ſermo Dei omnium ſit forma rerum. *Eſd.* 4. *c.* 6. *nu.* 38. *Gen. c.* 1. *num.* 3. 4. 6. *&* 31. *c.* 2. *nu.* 1. *Eccl. c.* 43. *nu.* 28. *c.* 39. *nu.* 20. *&* 39. *Sap. c.* 9. *nu.* 1. *Pſal.* 110. *nu.* 2. *Matth. c.* 8. *nu.* 3. *Mar. c.* 1. *nu.* 41. *&* 42. *Luc. c.* 5. *nu.* 13. Lazarus propterea, qui iam mortuus, ſepultus, quattriduanus fœtidus, ac putreſcens in ſola enunciatione verborum iſtorum ab ore Chriſti prodeuntium (*Lazare veni foras*) ſtatim potentiam, & actum reaſſumpſit vitæ, ligatiſq; pedibus, & manibus aduerſus inſitos naturæ deambulandi modos ſaltuatim incedebat, vt per talia intelligeremus, quod non à natura, non ab aliqua externa vi rapiente, ſed à ſolo Dei verbo, à quo cuncta procedunt, huiuſmodi quoq; procederent, ac penderent actus *Io. c.* 11. *nu.* 43. *&* 44. *Eccl. c.* 48. *nu.* 5. Si igitur ſermo Dei accipienti ſe ſuas, tamquam forma formato, communicat qualitates, & virtutes, *viuuſq; eſt ipſe ſermo Domini, & efficax, ac omni penetrabilior gladio ancipiti*: *Apoſt. ad Heb. c.* 4. *nu.* 12. vitam tribuat oportet: Si ergo viuus eſt, & illum qui recipit, vitam accipit *Io. c.* 5. *nu.* 24. *&* 25. vitæ ſit potentia, & actus, conſequens eſt; Propterea *Io. c.* 6. *nu.* 64. D. N. I. Chriſtus diſcipulis ſuis ait: *verba, quæ locutus ſum vobis*, (eius quæ fuerant euangelica verba) *ſunt ſpiritus, & vita*: Spiritus autem cum naturalis non ſolum, ſed & ſupernaturalis ſit potentia, à qua noſtræ omnes effluunt actus vitæ, ac vitam et ipſa *Sap. c.* 15. *nu.* 11. *Io. c.* 3. *nu.* 8. *& d. c.* 6. *nu.* 64. *&* 69. potentia verò, & actus ſimul in vnitate colligata ipſa ſint forma, forma verò ſit illa, quæ dat eſſe rei, & ſine qua res eſſe non poteſt, hinc fit, quod diuino audienti non ſubminiſtrato verbo, noui noſtri tanquam non ſubminiſtrata, ac deficiente hominis potentia, nouus noſter initium non ſumat homo, conſequens eſt, quia diuinum verbum initium eſt creaturæ Dei, ſibiq;

ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritus, & vita; potentia, actus; & forma, *ſupracitatis Iac. c. 1. nu. 18. Pet. 1. c. 1. nu. 23. Io. c. 3. nu. 8. & c. 6. nu. 64. & 69. Sap. c. 15. nu. 11.* Sicut autem potentia, & actus in nobis, vt ſimus, & viuamus, inſint neceſſe eſt, ſic & nos in ipſis viceuerſa ſimus oportet, quia vna cum ipſis vnum dumtaxat viuens ſumus, quæ enim in hypoſtaſis vnitate colligata manent, non confunduntur, ſed mutua alterius in altero permanſione ſympathica amoris virtute, & virtutis amore inuicem complexa perfectioris actum referentis potentiæ vnum formaliter tantum conſtituunt viuens, in nona ſic quoq; eſt Dei creatura noſtra, cuius eſſe eſt cum Chriſto, noſtra qui eſt forma, eſſe vnum: *Apoſt. ad Gal. c. 3. nu. 28. Apoc. c. 3. nu. 14. Io. c. 17. nu. 11. 20. 21. & 22.* Hoc autem cum Chriſto eſſe vnum, ſicut nouæ noſtræ fuit, & eſt formalitas creaturæ, illius ſic initium diuinum fuiſſe, & eſſe verbum negari non poteſt, quia ſua per illud incipimus eſſe creatura, & ipſe habitare in nobis, & conſequenter nos illius eſſe participes ſubſtantiæ *dd. Iac. c. 1. nu. 18. Pet. 1. c. 1. nu. 23. Apoſt. ad Eph. c. 3. nu. 6. & 17. Luc. c. 1. nu. 38. & 45. Io. c. 1. nu. 14.* cuius participatio mutua cum ſit eius in nobis, & noſtri in eo permanſio, ſicut, vt ipſius formalitatem retineamus Creaturæ, Chriſtus in nobis, & nos in Chriſto maneamus oportet: *Io. c. 15. nu. 4. & 5. Apoſt. ad Heb. c. 3. nu. 14.* ipſius ſic initium vt retineamus creaturæ, verbum illius in nobis, & nos in verbo illius maneamus, neceſſe eſt: *Io. cap. 5. num. 38. cap. 8. num. 31. cap. 15. num. 7. Deu. cap. 4. num. 9. Iſa. cap. 59. num. 21. Apoſt. ad Coloſ. cap. 1. num. 23.* à ſuis enim quemadmodum procedunt vniuerſa principijs, ab illis ſic pendeant, ipſa poſtulat ratio; vt ergo Chriſtus in nobis, nos in Chriſto maneamus, eius vſque in finem retineamus initium participationis ſubſtantiæ neceſſe eſt, *Apoſt. ad Heb. c. 3. nu. 14.* propterea *B. Io. ſua p. c. 2. nu. 24. ait: Si in vobis permanſerit, quod audiſtis ab initio, & vos in Patre, & Filio manebitis,* quia ſicut id, quod ab initio audiuimus noſtræ eſt permanſionis in Chriſto inuariabile principium, per quod ſubſtantiæ illius incipimus eſſe participes, illud ſic vſq; in finem retineamus oportet, vt in dicta permanſione perſeueremus, perſeuerantes ſubſtantiæ illius participes eſſe non deſinamus. *Apoſt. ad Gal. c. 1. nu. 8. 10. & 11. Ad Coloſ. c. 1. nu. 23. Ad Heb. c. 4. nu. 2. c. 11. nu. 6. Deut. cap. 18. nu. 18. & 19. Mar. c. 16. nu. 16. Io. c. 5. nu. 25. Iac. cap. 1. nu. 18.* Sicut ergo per acceptionem verbi illius in eius mutua colligamur permanſione, per illius ſic retentionem in eadem colligati perſeueranter manemus permanſione, *Io. d. c. 1. nu. 25. & 38. c. 15. nu. 4. & 7.*

 & alijs

& alijs ſuperius allegatis ſcrip. quæ mutua permanſio ipſa cũ ſit Chriſti participatio, Chriſti conſequenter per verbum eius participes effecti, erimus quoq; in poſterum, ſi tamen illud, tanquam participationis ſubſtantiæ illius, vſq; in finem retinuerimus, ex quibus manifeſtè patet, quod ad finem ſalutis conſequendum non ſat eſt, quod eius accipiamus verbum, niſi & illud vſq; in finem retinuerimus, quia, in quo vnumquodq; eſſe ſumit, in eo etiam perſeueret, vt conſeruetur, oportet, *Io. d. c. 5. nu. 38. c. 8. nu. 31. c. 15. nu. 7. Apoſt. ad Heb. cap. 12. nu. 25. & d. c. 3. nu. 14. Mat. cap. 24. nu. 13. Prou. c. 4. nu. 20. 21. & 22. Sap. c. 11. nu. 26. c. 16. nu. 11. 12. & 26. Deut. d. cap. 18. nu. 18. & 19. Iſa. c. 59. nu. 21. & alijs ſuperius alleg. ſcrip.* Dominus propterea noſter Ieſus Chriſtus, *Mat. & Luc. cap. 4. nu. 4.* dixit: *Non in ſolo pane viuit homo, ſed ex omni verbo, quod procedit ab ore Dei*, vt intelligeremus, quod ſicut corporea ſubſtantia noſtra, quæ terrena eſt, ex terrenis enutritur, & viuit alimentis, ſic nouitatis noſtræ formalitas, quæ ex Deo eſt, ex diuinis enutritur, viuit, & conſeruatur verbis, quia, quemadmodum terrena terrenis, ſic ſpiritualia ſpiritualibus comparantur medijs, *Apoſt. p. ad Cor. c. 2. nu. 13.* propterea *Oſe. c. 9. nu. 4.* ſcriptum eſt: *Quod panis eorum animæ ipſorum*, quia alimentum pro ipſa reputatur vita, quia ſine illo ipſa perſeuerare non poteſt.

Si prætereà Eccleſia Dei, quæ iuſtorum dicitur Eccleſia in fide ædificatur, *Apoſt. p. ad Cor. c. 3. nu. 9. 10. 14. & 15. P. ad Tim. c. 1. nu. 4.* & iuſti, et ipſi, illius qui membra ſunt, ſuper eam ædificati in fide, ex ea viuunt, ac viuant, oportet. *Eccl. c. 3. nu. 1. Iud. vnic. ſua nu. 20. Apoſt. ad Rom. c. 1. nu. 17. Ad Gal. c. 3. nu. 11. Ad Heb. cap. 10. num. 38. Habac. c. 2. nu. 4.* & fides diuini eſt traditi acceptio verbi, *Io. cap. 3. nu. 33. c. 4. nu. 50. & 53. Mat. c. 8. nu. 8. & 10. Luc. cap. 7. nu. 7. & 9. Apoſt. ad Rom. d. cap. 10. num. 17. P. ad Teſſ. cap. 2. nu. 13. Ad Heb. d. c. 4. num. 2. Eccl. c. 36. nu. 16. 17. & 18. Iſa. c. 8. nu. 16. & 20.* à diuino per conſequens verbo, quam illa conſtructionem, iſti vitam accipiunt, vt conſeruent, diuinum quoq; verbum in ipſis, & ipſi in eo perpetuò permaneant, oportet ex diuini ſanctione decreti, *Deut. d. c. 18. nu. 18. Iſa. c. 59. nu. 21. Sap. c. 16. nu. 26. & Io. vbi ſupra;* ea propterea qui non acceperint, ab ijſue ſe ſubtraxerint, Deo placere non poterunt, ſed adhuc ſub ira Dei manent. *Dan. c. 9. nu. 11. Apoſt. ad Heb. c. 10. nu. 38. c. 11. nu. 25. Io. c. 3. nu. 36. & ſua ſecunda n. 9.* ſeptem propterea inſignes illæ Eccleſiæ Aſiæ, de quibus *Apoc. c. 1. nu. 11.* fit mentio, non ex alio defecerunt, quam quod in diuino eo, in quo poſitæ fuerant, non permanſerunt

Digitized by Google

runt verbo, oportebat enim, vt in eo fideles extitiſſent vſq; ad mortem, *Apoc.c.2. nu.*10. quia Deus non concupiſcit cœtus, & multitudines filiorum infidelium, quos iurauit non introituros eſſe in requiem ſuam, *Prou. c.*15.*nu.*22. *Apoſt. ad Heb. c.*3.*nu.*18.*&* 19. & ideò, in quo poſitæ erant, offendentes verbo, & fideles non permanentes defecerunt, *Pet.*1. *c.*2.*nu.*8. *Apoc.c.*2. *nu.*10. *c.*3. *nu.* 3. *&* 11. Si ergo à diuinis verbis, rerum tamquam omnium principijs, earum eſſe, & vita procedit,& pendet: ad eas cur in eſſe, & in vitam producendas ab iiſdem quoq; verbis horum omnes non dicemus procedere, & pendere virtutes? *Eccl. c.*42. *nu.*15. *Apoſt.* propterea *ad Heb.cap.*1.*nu.*3. affirmauit; Quod *Chriſtus omnia nobis portauit verbo virtutis ſuæ*, quia verba ſua re vera omnem in ſe habent virtutem producendi, conſeruandi, inſtaurandi, & operandi omnia, *Pſal.* 32. *nu.*6. *&* 9. *Pſal.*148. *nu.*5. *Sap.c.*16. *nu.*12. *&* 26. *c.*18. *nu.*15. *Pet.*2. *c.*3. *nu.*7. *Eccl. c.*42. *nu.*15. *c.* 43. *nu.* 28. Nam in eius regeneramur verbis fidei ſuſcipientes donum *Apoſt. ad Cor.c.*4. *nu.*15. *Ad Rom. cap.* 10. *num.*17. 2. *ad Theſſ. c.*2. *nu.*13. *Pet. p. c.p. n.*23. *&* 25. *Iac.c.p. nu.*18. & ex animalibus immundis in mundos: ex carnalibus in ſpirituales: ex impijs, & peccatoribus in iuſtos: ex filijs diaboli, & iræ in filios Dei, & dilectionis euadimus: *Act. Apoſt. c.*10. *nu.*15. *Iob.c.*14. *nu.*4. *Io.c.*3. *nu.*3.8. 13. *&* 36. *Apoſt.p. ad Cor.c.*2. *nu.*11. 12. 13. *&* 14. *c.*6. *nu.*11. *Ad Gal. c.*3. *nu.*2. 5. *&* 26. *Ad Rom. cap.*10. *nu.* 8. 9. *&* 10. *Ad Eph. c.* 2. *nu.*1.2.3.4. *&* 5. *Ad Coloſ. c.*2. *nu.*12. *&* 13. *Io.* 1. *c.*3. *nu.*1. *&* 2. *Mat. c.*9. *nu.*5. *&* 6. *c.*15. *nu.* 28. *& alijs innumerabilibus ſcripturæ locis*; quia illa ſunt creaturæ Dei principium, atque illius ſemen verum, *Iac.c.p. nu.*18. *Pet. p. d.c.p. nu.*23. *&* 25. *Mar.c.*4. *nu.*14. *Luc. cap.*8. *nu.*12. *Apoſt. ad Gal. c.*4. *nu.* 19. *Ad Eph. c.* 5. *nu.* 26. In iiſq; ſpiritum, & vitam accipimus, quia illa verè nobis ſunt ſpiritus, & vita: *Prou. cap.*4. *nu.*20. 21. *&* 22. *c.*7. *nu.*22. *Io. c.*6. *nu.* 64. 69. *Apoſt. ad Gal. cap.*3. *nu.*2. *&* 5. *Pſal.*118.*nu.*28. *&* 154. *Sap. d.c.*16. *nu.* 26. In iiſq; perpetuo permaneamus, vt ſpiritum, & vitam, & prædicta omnia conſeruemus, oportet, *Iſa.c.*59.*nu.*21. *Io.c.*15.*n.*10. *& ſua p.c.*2 *nu.*24. *&* 27. *in fin.* 2. *ad Electam nu.*9. *Prou. c.*4. *nu.*13. *&* 21. *cap.*29. *nu.* 27. *in fin.* In eius ſperamus verbis, quia illa verè ſunt ſpes noſtra, *Pſal.* 118. *nu.* 42. 49. 74. 81. 114. 116. 147. *Prou.c.* 3. *nu.* 5. *Apoſt. ad Rom. c.* 4. *num.*18. *ad Coloſ. c.*1. *nu.*5. *&* 6. *ad Heb. c.*10. *nu.*23. Sicutq; in ſpe perpetuò, & indeficienter maneamus oportet, ſic & in verbis eius, quia in ipſis dicta eſt ſpes noſtra, *Pſal.* 129. *nu.*6. *iuncto Io. c.*9. *nu.*4. *Apoſt. ad Heb. c.*3. *nu.*6. *c.*6. *nu.*11. *ad Coloſ. c.p. nu.* 5. 6. *&* 23. In eius verbis ſanctum Dei

acci-

accipimus ſpiritum, & in eius efficimur habitaculum in Domino, & illius adimplemus opera charitatis, quia igne amoris, & charitatis ſunt plena, *Apoſt. ad Gal. d.c.3. nu.2. et 5. ad Rom. cap.8. nu.26. & 27. P. ad Cor. c.3. nu.16. 17. c.6. nu.19. 2. ad eoſdem c.6. nu.16. Io. cap. 17. nu.26. Act. Apoſt. c.10. nu.44. Pſal. 104. nu.19. Pſal.118. nu.140. Prou. d.c.30. nu.5. Ier.c.23. nu.29. Luc.c.24. nu.32.* quem, & quam, vt retineamus, ab eius verbis non recedamus, oportet, quia in nouitate noſtra, ab inuicem non ſeparantur, *Iſa.d.c.59.n.21.Io.1.cap.2.n.5. & 2.Electæ nu. 9.* In eius iuſtificamur verbis, *Iſa. c.53. nu.11. Act. Apoſt. c.2. nu.38.& 41. Apoſt. ad Rom. c.3. nu.28. c.5. nu.p. c.10. nu.10.& 17. ad Gal. c. 2. nu. 16.* ſine qua iuſtificatione ſalui eſſe non poſſumus, & quam, vt retineamus, in eius verbis maneamus, oportet, *Apoſt. ad Eph. c.1. nu.4. ad Heb.c.12. nu.25. Iſa.c.54. nu.14. & 17. in fin.c.60. nu.21.* In eius ſanctificamur verbis *Io.c.17. n.17. Apoſt.ad Eph.c.2. nu.26.& 27. P. ad Tim.c.4. nu.5.* ſine qua ſanctificatione,& Deum videre non poſſumus,& quam vt retineamus, eius verba cuſtodiamus, oportet, *Apoſt. ad Heb. c.12. nu.14. Pſal. 118. nu.158. Prou. cap. 29. in fin.* In eius erudimur verbis, *Sap. cap.6. nu.27. Deut. c.4.nu.36. Ier.c.7. nu.28.* eruditionem autem eius retinemus retinentes verbũ eius, *Ier.c.8.n.9.* Ad agnitionemq; peruenimus veritatis, quia omnia eius verba ſunt veritas, *Pſal.118. nu.160. Io.c.17. nu.17. & cap.8. nu.32. Eccl. cap.24. nu.32. c.6. nu.28. & 34. Sap. cap. 6. num. 13. & 27. Apoſt. 2. ad Tim. cap. 2. num. 7.* Quæ qui accipit, Deum accipit: & quæ qui ſpernit, & proijcit, Deum ſpernit, & proijcit; & quæ qui ignorat, ignorabitur, ideo ea ſemper à nobis requirit Deus, quoniam in ipſis ſemper ineſt, & viuit, vt faciat illa, propterea Deus dicitur eſſe Deus veritatis, & memor verbi ſui, *Io. c.12. nu. 48. & 50. & d.c.8. nu.32. Act. Apoſt.c.13. nu. 46. Apoſt. p. ad Theſ. c. 4. nu. 8. & P. ad Cor. c.14. nu.38. Ier.cap.23. nu.22.28. & 29. c.4.nu.2. Pſal.30. nu.24. & 6. Pſal. 88. nu.35. Ezech.c.16. nu.60.* & per quæ, quæ Deo placent, intelligimus, *Apoſt. ad Rom. c.2. nu.18. 2.Reg. cap.7. nu.28. et 29. Pſal.31.n.8. Pſ.118. n.130.* quia verba eius ſunt verba agnitionis,& intellectus *Eccl. c.2. nu.20. cap.24. nu.32. c.6. nu.33. & 34. Prou. c. 6. num. 23. Pſal.118. nu. 105. & d. nu. 130. & 160. Deu. c.4. nu. 6. & 10. 2. Reg. c.7. nu. 28.* quæ non, vt humana, vt ſubſiſtant, in chartis atramento inſcribantur, neceſſe habent, quia ſpiritu Dei viui in cordibus noſtris viuentibus litteris impreſſa viuunt, & vitam tribuunt, quoniam verè viua, & vita ſunt *Apoſt. 2. ad Cor. cap. 3. num. 3. ad Heb. c. 4. nu. 12. Io. cap.6. nu.64.& 69. Prou.d.c.4. nu.13. et 22. c.8. nu.35. c. 9. nu.5. & 6.*

Ita

Digitized by Google

Ita enim erudiendi, & illuminandi diuinorum verborum eſt præcipua, & peculiaris virtus, vt etiam ſomno qui conſopiti ſunt abundè ſapientia, ſcientia, charitate, alijſq; repleātur virtutibus, & gratijs magis, quam ſi eis ex profeſſo operam dediſſent, quia hæc non à diligentia noſtra, ſed ex eis ingenita oriuntur virtute, *Iob. cap. 33. nu. 15. & ſeqq. vſq; ad 19. 2. Paralip. cap. p. nu. 7. 9. 11. & 12. Eccl. c. p. nu. 15. iunčto Ioan. p. c. 4. nu. 10. et d. Eccl. c. 39. nu. 6. et 8. Reg. 3. cap. 3. nu. 5. 10. 12. et 13. Sap. c. 7. nu. 11. et* 14. Sicut verò ea diligentes in eius illuminantur, ſic, eorum rebelles qui fuerunt lumini, in eius obcæcantur verbis, *Iob. c. 12. nu. 22. cap. 18. nu. 5. & 6. c. 24. nu. 13. Iſa. c. 6. nu. 9. cap. 29. nu. 18. c. 51. nu. 4. Mat. c. 13. nu. 14. Mar. cap. 4. nu. 12. Luc. c. 8. nu. 11. Io. cap. 9. nu. 39. c. 12. nu. 40. Act. Apoſt. c. 18. nu. 24. et 28. c. 28. num. 26. Apoſt. ad Rom. c. 11. nu. 8. 2. ad Tim. c. 1. nu. 10. & d. Pſal. 18. nu. 9. Pſal. 118. nu. 105. 130. & 160. Prou. c. 6. nu. 23.* Ita in eius benedicimur: & in eius maledicimur verbis, in quibus qui benedictus fuerit, in Domino benedicetur, Amen: in quibus verò fuerit maledictus in maledictione eius pars erit. *Deut. c. 28. nu. 2. et 15. Eccl. c. 41. nu. 12. & 13. Iſa. c. 65. nu. 16. et 17. Mich. c. 5. nu. 14. Malach. c. 1. nu. 4. Ier. c. 11. num.* 4. In eius proſternimur: in eius roboramur verbis, *Dan. cap. 10. nu. 15. 16. 17. et 19.* In eius percutimur; in eius ſanamur verbis, *Ier. cap. 2. nu. 30. Sap. c. 16. nu. 12. Prou. d. c. 4. nu. 13. et 22. Pſal. 106. nu. 20. et 25.* In eius diſpergimur: in eius reducimur, & congregamur verbis, *Ier. cap. 16. nu. 13. et 15. Iſa. c. 5. nu. 26. Oſe. c. 9. nu. 17.* In eius verbis eo, quo caremus, redundanter abundamus: & vſu, quæ conſumuntur, quotidiano non diminuuntur vſu *Num. c. 20. nu. 8. & 11. Reg. 4. c. 17. nu. 16. Pſal. 77. nu. 15. et 16. Pſal. 104. nu. 41. Sap. c. 11. nu. 4.* Rationalia, & irrationalia in eius capiuntur verbis, quia *verba eius ſunt ſagena capturæ illius, Mat. c. 4. nu. 19. et 20. c. 9. nu. 9. Mar. c. p. nu. 17. et 18. Luc. c. 5. nu. 5. 6. 10. 11. et 13. Io. c. 1. nu. 43. c. 21. nu. 6. Ier. c. 16. nu. 16. Ezech. c. 12. nu. 13. c. 17. nu. 20. c. 32. nu. 3. Oſe. c. 7. nu. 12.* In eius verbis corda creaturæ ſuæ conteruntur, inflammantur, & immutantur, *Prou. c. 30. nu. 5. Ier. c. 23. nu. 29. Iob. c. 12. nu. 24.* In eius verbis quieſcunt venti, fluctus mitigantur maris, ac tranquilla redduntur omnia, *Mat. cap. 8. n. 26. et 27. Mar. c. 4. nu. 39. Eccl. c. 42. nu. 25.* Virentia areſcunt: eradicantur, & tranſplantantur arbores: & transferuntur montes, *Mat. c. 17. nu. 19. c. 21. nu. 19. et 21. Mar. c. 11. nu. 21. et 23. Pſal. 103. nu. 7.* Intellectu quæ carent, interroganti ſe articulatis reſpondent vocibus: diſertos, & ornatos abſoluunt diſcurſus; *Num. c. 22. nu. 28. 29. et 30. Pet. 2. c. 2. nu. 16.*

Senſum

Digitized by Google

Senſum, quæ non habent eius audiunt verbum, & obediunt illi, *Bar. c.3. nu.33. 34. et 35. Eſd. 4. c.6. nu.48. 61. & 62. Ier. c. 22. nu. 29. et 30.* Ignis fit non vrens: ignem aqua non extinguens; *Sap. c.16. nu.18. 19. 22. et 23. c.19. nu.19. et 20.* In eius verbis eijciuntur dæmones, quorum ſuper terrã nulla eſt maior poteſtas: peccantium indelebiles abluuntur, & dealbantur ſordes: eorumq; culpæ natura irremiſſibiles dimittuntur, & fiunt, quaſi non ſint amplius; *Mat. c.8. nu.16. cap.9. nu. 2. 5. 6. et 7. Mar. c.p. nu.32. et 33. Luc. c.4. nu.36. Iſa. c.p. nu.18. et 20. Iob c.41. nu.24. Ier. c.2. nu.22. c.17. nu.p. c.13. nu.23. c.30. num.12. 13. 14. et 15. Io. c.15. num.3.* Spiritu in eius viuificamur, & morimur verbis; *Pſal. 118. nu.50. & 17. Gen. cap.2. nu.17.* In eius verbis actu, & potentiæ habitu priuamur: in eiuſq; rurſus verbis contra phyſica dogmata ad eumdem habitum nobis datur regreſſus; *Num. c.29. nu.26. & 29. Deut. c.32. nu.49. c.34. nu.5. Mat. c.5. nu.41. et 42. Luc. c.8. num. 54. et 55. Eccl. c. 48. nu. 5.* In eius verbis vir in alterum mutatur virum eodem in eo manente ſpiritu, & ſenſibili corpore *Reg. P. c.9. nu.27. in fin. cap. 10. nu.6. & 9. Ier. c.18. nu.3. 4. et 6.* In eius verbis iiſdem, vt ſupra, manentibus ex viro quis in belluam vertitur: ex belluaq; rurſus in priorem reuertitur virum bruti relicta figura, *Dan. c.4. nu.27. & ſeqq. vſq; ad fin. cap.* In eius occidimur, exterminamur, ac in puluerem redigimur verbis: & iterum in eius verbis oſſa noſtra arida iam conſumptis eorum veſtiuntur carnibus, & in vitam reducuntur; *Oſe. c. 6. nu. 5. Sap. cap.12. nu.9. Gen. c.3. nu.19. Pſal. 103. nu.29. Io. c. 11. nu. 39. 43. et 44. Ezech. c.37. nu. 4. 7. 8. 9. et 10.* Et quæ ſua ſunt immobilia natura contremiſcent, & de ſuo mouebuntur loco; *Iob c. 9. num. 6. Pſal. 103. nu.5. Eccleſ. c.p. nu.4. Eccl. c.39. nu. 32. Iſa. c. 48. nu. 13.* Inſulæ fugient, *Apoc. c.6. nu.14.* Stellæ de cælo cadent, *Mat. c. 24. nu. 29. Mar. c.13. nu.25. Apoc. d. c.6. nu.13.* Et cælum ſicut liber inuoluetur, *Iſa. c. 34. nu.4. Apoc. d. c. 6. nu. 14.* In eius tandem verbis mortui reſurgent omnes, & in eius omnes iudicabuntur verbis, *Io. c. 5. nu. 28. et 29. c. 12. nu.48. Dan. c.12. nu.2. Apoc. c.20. nu.13. Eccl. c.43. nu. 11.* In eius, qui damnandi erunt, damnabuntur verbis, in eius, qui ſaluandi erunt, ſaluabuntur verbis: & alia multa facta ſunt, & fient in verbis eius miracula magna, quæ conſultò omittuntur breuitatis cauſa; *Mat. cap. 25. nu.34. et 41. Io. c.17. nu.2. 3. 7. 8. et 14. Iud. ſua vnica nu.15. Sap. c.9. nu. 19. c. 16. nu.12. et 16. Deut. c.18. n.19. Mich. c.5. nu.14.* Vniuerſa ergo ſi creata natura, & in ea quæ extant, extiterũt, atq; futura ſunt, ſpirituſq; virtutes eæ, omniaq; ſemina rerum, in iis quæ infuſa fuerunt, à diui-

no

Digitized by Google

no cuncta prodierunt verbo, *Gen. c. p. à principio per totum Eccl. c. 16 nu. 25. c. 28. nu. 4. & 7. c. 42. nu. 15. c. 43. nu. 28.* ipſo quid diuino nobis magis vtile, ac neceſſarium potuit, ac poteſt eſſe verbo? *Eccl. c. 29. nu. 28. c. 39. nu. 31.* Etſi mortifero omnes diaboli naſcimur infecti veneno, *Apoſt. ad Rom. c. 5. nu. 12. & 14. Ad Eph. c. 2. nu. 3. & Dei eſt verbum, quod ab eo nos ſanat, & ab omni malo, Sap. c. 16. nu. 11. & 12.* noſtris infirmitatibus quid vtilius eſſe poteſt? Etſi diuini ignoratio verbi noſtrorum eſt errorum potiſſima cauſa, *Mat. c. 22. nu. 29. Prou. cap. 29. nu. 29.* & propter noſtros perimus errores, *Sap. c. p. nu. 12. c. 2. nu. 21. c. 5. num. 6. & 7.* diuino quid nobis erit conducibilius verbo? Etſi diuino qui non acquieſcunt verbo, nullo alio poſſunt erudiri diſciplinæ genere, *Ier. c. 7. nu. 28. c. 8. nu. 9. Apoſt. 1. ad Tim. c. 6. nu. 3. & 4.* Dei verò qui ſunt extra diſciplinam, eius non ſunt filij, ſed alieni, & adulteri, *Apoſt. ad Heb. c. 12. nu. 8. Iac. c. 1. nu. 18. Io. c. 8. nu. 47. c. 10. nu. 26. & 27.* quis diuini non verebitur, & venerabitur virtutem, & efficaciam verbi? Etſi ſermo Dei omnis eſt veritas, & veritas noſtri eſt obiectum, & lumen intellectus, cui acquieſcamus, vt viuamus, oportet, quoniam lumen illius propria eſt hominum vita, à quà, vt viuamus, non aberremus oportet *Pſal. 118. nu. 160. 50. 105. Reg. 2. c. 7. nu. 28. & 29. Ezech. c. 22. nu. 14. Io. c. 17. nu. 17. cap. 8. num. 46. Apoſt. p. ad Tim. d. c. 6. nu. 3. & 4. Reg. P. c. 15. nu. 23. Prou. c. 6. nu. 23. cap. 4. nu. 13. & 22. Eccl. c. 2. nu. 2. c. 24. nu. 25.* illius negare quis poterit virtutem, efficaciam, vtilitatem, & neceſſitatem? Etſi *eſt efficax, ac omni penetrabilior gladio ancipiti pertingens, vſq; ad diuiſionem animæ, & ſpiritus, Apoſt. ad Heb. d. c. 4. nu. 12.* quis eius non admirabitur potentiam, & amabit virtutes? Etſi gladius eſt acutus inſimulatum Dei portans imperium, ac omnipotens eſt, & durus debellator eorum, ſpernere qui ſe audent, qui & ſtans in terra tangit vſq; ad Cælum, &, ſicut ei placet, morte implet omnia, & ſicut acceptantibus ſe eſt vita, ſic proijcientibus ſe eſt mors, *Sap. c. 18. nu. 15. & 16. Iſa. cap. 11. nu. 4. P. ad Theſſ. c. 4. nu. 8. 2. ad eoſdem c. 2. nu. 8. Ad Heb. c. 12. nu. 25. Deut. cap. 18. nu. 19. Mich. c. 5. nu. 14. Act. Apoſt. c. 13. nu. 46. Apoc. c. p. nu. 16. c. 2. nu. 16. Io. cap. 12. nu. 48.* eius quis non timebit iram? Etſi quin fiat fieri non poteſt, quoniam facilius eſt, vt cœli, & terra, & tota creata pereat natura, quam iota vnum ex his, quæ ab eo prænunciata ſunt, non eueniat; *Iſa. c. 34. nu. 16. Mat. c. 5. nu. 18. c. 24. nu. 25. Mar. c. 13. nu. 31. Luc. c. 16. nu. 17. c. 21. nu. 33. Io. c. 10. nu. 35. Ioſ. c. 23. nu. 14. Iudith. c. 13. nu. 7.* in rectè ſe tractantes, ac ſe reuerenter ſuſcipientes contem-

 plemus

Digitized by Google

plemus bonitatem: in aliter verò facientes timeamus ſeueritatem, neceſſe eſt, *Apoſt. P. ad Tim. c. 1. nu. 15. c. 4. nu. 9. & 2. ad eundem cap. 2. nu. 15. ad Rom. c. 11. nu. 21. & 22.* & virtutes hæ, & efficaciæ omnes ita diuini re ſunt præcipuæ verbi, vt eas ſi quis proprio, vel alieno auderet aſcribere verbo, ſolertiæ, doctrinæ, vel nomini, tamquam Dei aſſumens faciem præſumptionis, temeritatis, & arrogantiæ crimen incurriſſe rectè diceretur, *Iob c. 13. nu. 8. & 12. Prou. c. 16. nu. 5. Eccl. c. 35. nu. 24. c. 37. nu. 3. Malac. c. 3. nu. 15.* ſic etiam ſi pro diuino ſuum, vel alienum quis traderet auditoribus ſuis verbum, has illi vtiq; non communicaret virtutes, in illoſq; non transfunderet eas, quia illæ non ſui, vel alieni, ſed ab omnibus alijs priuatiuè ſunt propriæ diuini virtutes verbi, illius autem ſi ſunt virtutes, & virtutes ſunt partes indiuiſibiles eius ſubſtantiæ, cuius illæ dicuntur eſſe virtutes, conſequenter etiam, vt ab aliquo recipi poſſint, ei diuinum tradatur verbum, cum quo illas recipiat, neceſſe eſt, quod nobis volens manifeſtare Deus, *Ier. c. 23. nu. 22. & ſeqq.* ſic ait: *Si*, videlicet *mei promulgatores verbi, ſtetiſſent in conſilio meo*, (hoc eſt, vt auditoribus ſuis ad amuſſim mea, prout à me acceperũt, annunciaſſent verba, quorum medio eos ſanare, ſanctificare, in viam rectam deducere, & cætera eis bona facere decreui, *Ezech. c. 3. nu. 10. 17. & 27. Sap. c. 16. nu. 11. 12. Oſe. c. 14. nu. 3. Io. c. 17. nu. 17. Iſa. c. 55. nu. 10. & 11. & alijs alleg.*) *auertiſſem eos vtiq; ab eorum via mala, & à cogitationibus ſuis peſſimis*; quod, vt nobis liquidius innoteſceret, eodem *Ier. c. 23. nu. 28. & 29.* ſubiungens ait: *Qui ergo ſermonem meum habet, loquatur ſermonem meum verè*, non proprium, vel alienum, *quid enim paleis ad triticum? Numquid non verba mea ſunt ignis: & quaſi malleus conterens petram?* quaſi diceret, illa nota differentia, quam eſſe à paleis ad triticum cognoſcitis, à verbis veſtris ad mea quoq; intereſt verba, quia ſicut vis, & facultas productiua tritici non in paleis, ſed in tritici ineſt grano, ſic vis virtutum harum communicandarum non in veſtro, ſed in meo ineſt verbo. Cæterum, quod verba Dei ſint ignis, iuxta Dei teſtimonia, *Pſal.* 118. *nu.* 140. *Prou. cap. 30. num. 5.* exempla in ſacris chartis extant de ills fratribus, Andrea nempè, & Simone: Iacobo, & Ioanne: de Leui: & duobus alijs diſcipulis euntibus in Emmaus, qui ad ſimplicem auditum diuini verbi in ignem conuerſi fuerunt charitatis, quia diuinum verbum huiuſmodi habet virtutem, *Mat. c. 4. nu. 19. 20. 21. & 22. c. 9. nu. 9. Mar. c. 1. nu. 17. 18. 19. & 20. c. 2. nu. 14. Luc. c. 5. nu. 27. c. 24. nu. 32.* Quod autem ſint tamquam malleus conterens petras, iuxta prophæ-

ticum

Digitized by Google

ticum *Ezech.* ſermonem *c.* 11.*nu.*19. memorabile extat exemplum de Saulo, cuius lapideum cor ab auditu Diuini verbi contritum fuit, & ipſe ex vaſtatore prudentiſſimus euaſit Eccleſiæ ædificator, ex perſecutore vas electionis, *Act. Apoſt. c.9.nu.*1. 13. *&* 15. *Apoſt. ad Gal. c.*1. *nu.*13. *P. ad Cor. c.*15. *nu.*9. *c.*3. *nu.*10. *ad eoſdem c.*12. *nu.* 15. *c.* 13. *nu.*7. *ad Rom. c.*9. *nu.*3. Si ergo, vt ignis, virtutem habent ad calefaciendum algentias cordium noſtrorum, & ad illa inflammanda ad diuinum amorem, & tamquam malleus ad illorum conterendam duritiem, & contumaciam, & illa emollienda ad diuinam ſuſcipiendam diſciplinam, totq; ac tantas tum ſuperius enumeratas, tum prætermiſſas, ac quæ enumerari non poſſunt, virtutes, quæ eorūdem diuinorum ſunt verborum, vt dictum fuit, indiuiſibiles partes, præfata conſequenter diuina verba non ſolum apta, ſed & neceſſaria erunt media ad dictas conſequendas, & communicandas virtutes; quæ cum inſuper ſint ſupernaturales, & conſequenter ſupra omnes humanas noſtras vires conſtitutæ, ad eas etiam conſequendas, & communicandas humana noſtra nihil conferret ſolertia, doctrina, vel verba, niſi vt pura dictorum diuinorum tradendorum verborum inſtrumenta, & ad oſtendendam curam, quam in domino habere debemus, quod huiuſmodi ſupernaturales virtutes in hominum corda diffundantur, atq; inſerantur ad gloriam Dei, & animarum ſalutem, quia humani actus noſtri non poſſunt operari virtutes, & effectus, qui ſupra naturales noſtras ſint vires; eo, quia finiti ad infinita tradenda nulla ſit potentiæ proportio, ideo, quæ Dei ſunt, ſine Deo neq; ſciri, neq; acquiri, neq; communicari poſſunt, *Iſa. c.*64. *nu.*4. *Apoſt. ad Eph. c.*2. *nu.* 8. *c.*3. *nu.* 16. *& ſeqq. vſq; ad fin. cap. Ad Heb c.*4. *nu.*12. *Act. Apoſt. c.* 11. *nu.*14. *&* 15. *c.*13. *nu.*48. *c.*16. *nu.*14. *cum alijs ſuperius abundè citatis:* nam ſicut ea, quæ ſunt hominis præcipua, noſtra non percipit, percipere nec poteſt caro, quoniam huiuſmodi facultates, virtutes, & actiones ſupra ſuæ limites ſunt conſtitutæ ſpeciei, quos tranſcendat impoſſibile eſt, alias daretur tranſitio de ſpecie ad ſpeciem, & ſpecies, quæ miro ordine a Deo diſtinctæ, & conſtitutæ fuerunt, confunderentur omnes, ſed præcipuæ ſunt humani ſpiritus, in ipſo qui eſt homine: ſic ea, quæ Dei ſunt, humanus noſter non percipit ſpiritus, quia huiuſmodi ſupra ſuæ ſunt conſtituta limites ſpeciei, quos naturaliter tranſcendere non poteſt, ſed propriā ſunt ſpiritus Dei, *Apoſt. p. ad Cor. c.*2. *nu.*11. *Sap. c.*9. *nu.* 13. niſi ergo miſerit Deus ſpiritum ſuum ſanctum de altiſſimis in nos, cuius mutua cum ſpiritu noſtro, & noſtri cum ſuo per-

Digitized by Google

manſione ſimul adhærentes vnus ex gratia factus noſter materia habilis efficiatur ad ſuſcipiendas dictas virtutes, eas ſuſcipiat impoſſibile eſt, quia ſunt difuſiuæ quidem, & communicabiles, ſed in ſubiecto apto, & iuxta menſuram donationis diuinæ, ita vt ſublimitas huiuſmodi ſit virtus Dei, non autem ex nobis, *Sap. d. c. 9. nu. 17. c. 7. nu. 7. & 14. Apoſt. ad Rom. c. 12. nu. 6. P. ad Cor. d. c. 2. num. 10. 12. & 13. c. 6. nu. 17. c. 12. nu. 11. 2. ad eoſdem c. 4. nu. 7. ad Eph. c. 3. nu. 16. & ſeqq. vſq; ad finẽ cap. 10. c. 15. n. 4. & 5.* Creaturæ ergo etſi impoſſibile ſit, quod in proprijs naturæ ſuæ viribus percipere poſſit, & facto percipiat ſupranaturales has virtutes, Deus tamen, cui omnia poſſibilia, & facillima ſunt, in ſuo ſancto eas includens verbo facillimæ eas reddidit perceptionis, ideo ſicut cuicumq; dictum ſuum fuerit traditum verbum, illæ quoq; tamquam in eo contentæ cenſentur traditæ, & traditæ ſunt verè, ſic cuicumq; illud acceptanti cum ipſo, & illæ acceptatæ cenſeantur, & ſint verè conſequens eſt, quod autem facto res ita ſe habeat, manifeſtè patet, nam quis eſt, qui propria poſſit ad Deum accedere virtute? nullus certè, niſi D. N. Ieſus Chriſtus, quia etſi homo verus, verus tamen etiam eſt Deus, qui poteſt per ſe ad Deum accedere: purus verò homo ad Deum acceſſum habet per fidem, *Apoſt. ad Eph. c. 3. nu. 12.* quæ fides diuini eſt acceptio verbi, nam fides ex auditu oritur, auditus verò iſte fit per verbum Ieſu Chriſti, quod ipſius eſt Patris verbum, *Apoſt. ad Rom. c. 10. num. 17. iuncto Io. c. 14. nu. 24.* quo acceptato fides oritur, & per eam ad Deum accedimus, *Apoſt. ad Heb c. 3. nu. 7. 18. & 19. c. 4. nu. 2. ad Eph. d. c. 3. nu. 12. ad Rom. d. c. 10. nu 6. & 8.* Quis præterea propria poterit auctoritate Dei ſanctum in ſe recipere ſpiritum? nullus certè: medio tamen diuini illum recipimus verbi, *Act. Apoſt. c. 11. nu. 14. & 15. Apoſt. ad Gal. c. 3. nu. 2.* Ea pariter, quæ Dei ſunt, propria quis poterit percipere virtute? vtiq; nullus, etiam ſi fuerint Angeli in eius conſpectu aſtantes, niſi ex eius diuina reuelatione, donatione, & gratia, *Iſa. d. c. 64. nu. 4. Apoſt. p. ad Cor. d. c. 2. nu. 11. Sap. c. 9. nu. 13. Iob c. 28. nu. 11. 12. 20. 21. & 23. & alijs citatis*, diuini tamen medio verbi ea percipere poſſumus, *Sap. c. 6. nu. 12. & 27.* Quia Deus conſtituit illud aptum medium ad inuiſibilia Dei nobis viſibilia facienda, ad illaq; exprimenda, edocenda, percipienda, in mentemq; imprimenda lumen, intellectum, & virtutem præbens, *Apoſt. ad Heb. c. p. num. 3. c. 11. nu. 3. P. ad Tim. c. 3. nu. 16. 2. ad eumdem c. p. nu. 10. c. 2. nu. 7. d. Pſal. 118. nu. 105. & 160. Pſal. 18. nu. 8. Io. c. 8. nu. 43. c. 17. nu. 7. 8. & 17.* ideo ſine eius

præ-

præuio lumine in diuinis erremus, conſequens eſt ex ipſius infallibili teſtimonio, *Mat. c. 22. nu. 29. Mar. c. 12. nu. 24. Luc. c. 19. nu. 42. & 44. Iſa. c. 5. nu. 13. & 14. Apoſt. p ad Tim. c. 6. nu. 3. & 4. 2. ad eumdem c. 4. nu. 3. & 4. ad Heb. c. 12. num. 25.* volens propterea *B. Io. ſua p. c. 4. nu. 6.* tutam nobis tradere viam errorum effugiendorum, & ſectandæ veritatis nos monet, vt verba Dei audiamus, & eos, qui loquuntur ea, quia illa omnia ſunt infallibilis veritas ab eo procedens, qui mentiatur impoſſibile eſt, *Io. c. 17. nu. 17. Num. c. 23. nu. 19. Apoſt. ad Rom. c. 6. nu. 18.* ideo eius etiam medio erremus impoſſibile eſt, dummodo eo rectè vtamur, quia mendacium ex veritate eſſe non poteſt, *Io. c. 8. nu. 32. 46. & 47. & ſua P. c. 2. nu. 21. Pſal. 118. nu. 160. Eccl. c. 33. nu. 16.* & ita etiam de reliquis ſupernaturalibus virtutibus, nam illæ in diuino infuſæ, à Domino Noſtro Ieſu Chriſto portatæ verbo per illius acceptationem accipiuntur & illæ, quia illarum impartiendarum, ac participandarum opportunum, & efficax eſt medium huiuſmodi in ſe operantem habens actum, *d. Pſal. 67. nu. 35. Pſal. 32. nu. 6. & 9. Apoſt. ad Heb. c. 1. nu. 3. c. 4. nu. 12. Eſd. 4. c. 6. nu. 38. Iſa. c. 55. num. 11. Mat. c. 8. nu. 3. c. 9. nu. 5. & 9. Mar. c. 1. nu. 42. c. 2. nu. 14. Luc. c. 5. nu. 13. & 27.* non quod alio etiam medio, quam per ſui acceptationem verbi fuerint alias, ac etiam modernis temporibus communicatæ, *Iſa. c. 52. nu. 15. Apoſt. ad Rom. c. 15. nu. 21. Io. c. 20. nu. 29. Eſd. 4. c. 1. nu. 27.* quia Angelis in ipſo creationis inſtanti facto communicatæ fuerunt non vna quidem omnibus vbertate, quia Lucifero ſuper omnes ſupereminentiſſimè, & cumulatiſſimè impartitæ fuerunt, & maximè ſupernaturalium ſapientia, ideo Cherub extentus, & protegens appellatus eſt, quia ad inſtruendum acutiſſimus, & efficax, ad defendendum acerrimus, & intrepidus erat, *Ezech. c. 28. nu. 14. 15. & 16. Iob c. 41. nu. 24.*

Verum, quia ſupernaturalium ſapientiam propria præſumpſit habere natura, & virtute, cum illam gratis poſſideret per diuinæ ſapientiæ in ſe, & ſui in diuina ſapientia mutuam permanſionem, quæ gratuita adhæſio, & vnitas eſt, ab huiuſmodi ideo delatus præſumptionis vento in ſuperbiam ſe erexit, ob quam ingratitudinis, & ſceleris notam ab ipſo diuina ſe recepit ſapientia, quia, *nihil quod coinquinatum ſit in eam incurrere poteſt, Eccl. c. 4. nu. 22. cap. 6. nu. 4. Sap. c. 7. nu. 5. c. 7. nu. 25. Iob c. 4. nu. 18. c. 15. nu. 15.* ab eo autem illa recedens ſupernaturalibus ſuis omnibus eum expoliatum reliquit bonis, ideo eũ tanquam vulneratum deieciſſe dicitur, quia illis exutus imbellis, & ſine viribus prioribus remanſit, quas in B. Michaele Archangelo admirans dicebat,

Digitized by Google

bat, *Væ vt Deus*, *Ezech. d.c.* 28. *nu.*17. *&* 18. *Iſa.c.*51. *nu.* 9. *c.* 14. *nu.*12. *&* 13. *Apoc. c.*12. *nu.*7. *&* 8. Ita & primi parentes noſtri ab inſtanti creationis eorum ea poſſederunt, *Gen.c.p. nu.*27. *c.*2. *nu.* 17. 23. 24. *&* 25. *Sap. c.*10. *n.p.&* 2. verum,quia diaboli ſuggeſtione ea propria voluerunt poſſidere virtute,à vento delati præſumptionis diuinum auſi fuerunt tranſgredi præceptum,propter cuius tranſgreſſionem ijs expoliati fuerunt, & ſuam cognouerunt nuditatem, & miſeriam, *Gen. c.* 3. *nu.*4.5.6.7. *&* 22. *Eccl. c.*35. *nu.*24. Similiter & Salomoni à Deo infuſa fuit ſupernaturalium ſapientia ab initio regni ſui, 3. *Reg. c.*3. *nu.* 12. *Sap.c.*7. *nu.*7. *&* 8. cuius virtute luminis ſanctiſſima, & optima nobis reliquit præcepta, & documenta, & inter cætera: Quod nihil melius eſſet, quam obedire Deo, & nihil magis ſtultum, quam ab eo recedere: Quod mulier amarior eſſet morte,quod eſſet humani cordis ſagena, manus eius vincula, & qui peccaſſent, in eius inciderent fraudes: Quod quicumq; periculum peccandi amaſſet, perijſſet in illo, *Prouerb.c.*7. *nu.*25. 26.27. *c.*5. *nu.*7.8.9. *cap.*14. *nu.*27. *&* 16. *c.*13. *nu.* 14. *c.*16. *nu.*6. *c.* 10. *nu.*8. *c.*19. *nu.*16. *c.*28. *nu.* 26. *Ecclеſ. c.*4. *nu.* 17. *c.* 7. *nu.*28. *c.*8. *nu.*5. *c.*12. *nu.*13. *& paſſim per alia ſcripturæ loca*: verum cum tam magno ſe videret decoratum ſplendore ſapientiæ præſumere cæpit, quod propria eam poſſet acquirere virtute,& tunc interius ab ea ſe longius receſſiſſe ſenſit, & illius tantam latitudinis, & profunditatis eſſe animaduertit vaſtitatem, vt humano noſtro natura eſſet omnino imperceptibilis intellectui, *Eccleſ. c.*7. *nu.*24.25.28.29. *&* 30. *c.*8. *nu.*17. cum vero à vento ſuæ omnino ſe deferri permitteret præſumptionis Dei ſine periculo præterire poſſe putauit præceptum ſibi, & populo à Deo iniunctum de ſe abſtinendo ab vxoribus alienigenis, ne illorum corda ab ipſarum proterua à Deo abducerentur malitia, de quo non ſibi timens, ſed illius ſe periculo exponens perijt in illo, quia eas duxit, & idololatrauit, non mirum ſi ſapientia Dei dereliquit eum, & tradidit illum in manus inimici ſui, hoc eſt ſtultitiæ, in quam huiuſmodi præſumprionis faſcino incidit præuaricando monita Dei, 3. *Reg. c.* 11. *nu.*4. 5.6.7. 8.9. *&* 33. *Eccl. c.* 47. *num.* 21. *&* 22. Sic & alij ferè infiniti fecerunt Excellentes viri, qui per diuinæ infuſionem ſapientiæ ſupernaturalium facti fuerunt participes virtutum, verum,quia earum degenerantes principium, quod ipſa diuina eſt ſapientia,propriæ eas tribuerunt virtuti,ab huiuſmodi ideo delati vento præſumptionis,diuinas quoq; auſi ſunt præterire commonitiones, in quibus conſtanter permanere debuiſſent, merito vti diuini rebel-
les

Digitized by Google

les luminis ijs priuati extiterunt,diuina ſe ab ijs, vt ſupra, recipiente ſapientia, *Apoſt. 2. ad Cor. c.4. nu.7. Sap. c.1. nu.3. 4. & 5. c.7. nu.14.16. 25. & 28. Eccl. c.1. nu.5. c.24. nu.25. 38. & 44. c.4. nu.22. c.6. nu. 4. Bar. c.3. nu.14. & 15. Iob c.24. nu.13.* In ſpiritu propterea Dei, *Eccl. c. 37. nu.3.* ingentem humanæ contemplans cataclyſmum præſumptionis exclamando ait: O' *præſumptio nequiſſima vnde creata es cooperire aridam doloſitate, & malitia illius?* Deus propterea, qui diues eſt in miſericordia, ſua volens prouidentia huic noſtræ lubricæ, & aſſuetæ mederi præſumptioni, pro harum ſupernaturalium nobis impartiendarum virtutum medio, ſuæq; nobis communicandæ ſalutis ſuum ſanctum elegit verbum, quod non ab vllo alio, quam à ſe ipſo proceſſiſſe ſcimus, in quo illas inſertas eſſe voluit, vt in poſterum noſtra penitus conquieſceret præſumptio, quod, videlicet, noſtra amplius putaremus illas capeſſere poſſe virtute, *Apoſt. 1. ad Cor. c.14. nu.36. Ad Gal. c. 1. nu. 12. Ad Eph. c.2. nu.4. c.1. nu.13. c.3. nu. 8. 16. & ſeqq. Eccl. c.18. nu.10. & 11. Sap. c.16. nu 11. & 12. Deut. c.18. nu.18. & 19. Pſal. 106. nu.20. cum alijs ſuperius allegatis*, quæ, quaſi prædictorum omnium rationem reddens teſtificatur *Apoſt. p. ad Cor. c.1. nu.21.* dicens: Nam *quia mundus*, hoc eſt, ij, in mundo qui erant, *in ipſa Dei ſapientia*, eis per diuinam infuſa ſapientiam *non cognouerunt Deum*, pro huiuſmodi luce mentes eorum ad ſupernaturalia cognoſcenda illuminante, quæ in myſterio ipſa eſt perſona Filij, quæ prima perficit ſcire ſe ipſam, atq; perſonam Patris, cui vult, reuelat, quia eum ipſa ſola nouit, *Apoſt. p. ad eoſdem c.2. nu.7. Eccl. c.24. nu.38. & 44. Io. c.1. nu.9. & 18. c. 6. nu. 46. c.8. nu.18. Mat. c.11. nu.27. Luc. c.10. nu. 22.* ſed eum propria putarunt poſſe capeſſere ſapientia *humanam propterea Deus reprobauit ſapientiam, Apoſt. d.1. ad Cor. c.1. nu.19. & 20. c.3. nu. 19.* quia humanæ ſemper potiſſima fuit præſumptionis, & præcipitij cauſa, tum, quia ad ſupernaturalia capeſſenda natura eſt ineptum medium, vt ex his, quæ ſuperius dicta ſunt, manifeſtiſſimè patet, quia, ſi ſpiritus hominis ſuæ limites non poteſt tranſcendere ſpeciei, ſua propria, quæ Dei ſunt, percipiat virtute impoſſibile eſt, quia ſupra ſuæ ſunt limites, & vires conſtituta ſpeciei: propterea ſcriptum eſt: *Quod ea, quæ Dei ſunt, ſcit nemo, niſi ſpiritus ipſe Dei, qui in ipſo eſt Deo*, quæ ergo Dei ſunt, ſine Deo ſciantur, impoſſibile eſt, *Apoſt. 1. ad Cor. c.2. nu.11. Eccl. d. c.24. nu.25. 38. & 44. Iob c.32. nu.8. Iſa. c.64. nu.4. Sap. c.9. nu. 17.* Si ita, humana etiam ſapientia ad diuina capeſſenda ineptum eſt medium, idq; tanto magis, quia ad hoc eam reprobauit Deus, & ſtultum declarauit, &

elegit

elegit ſaluos facere credentes per ſtultitiam prædicationis verbi ſui, *Apoſt.p. ad Cor. d. c.* 1. *nu.* 19. 20. *&* 21. eam autem etſi ſtultitiam appellet, non ex eo ita dicit, quod ita eſſe credat, ſed quia nouit, quod ſapientes huius ſæculi ſtultitiam reputant, quod quis ſimplici propoſitæ aſſertioni, vel enunciato verbo acquieſcat prius, quam aliqua phyſica fuerit comprobatum ratione tanti ponderis, vt ſatis ſit ſapientis animum flectere ad ita credendum, ſeu ſentiendum: propterea *P. ad eoſdem Cor. cap.* 3. *nu.* 18. hortatur ſapientes huius ſæculi, vt ad diuina ſuſcipienda verba ſtulti fieri velint, hoc eſt nullam de eorumdem veritate verborum perquirant rationem, ſed illis fidenter acquieſcant in Domino, quia in illis audiendis, quod apud homines ſapientius exiſtimatur, apud Deum delirius eſt, & quod apud homines ſtolidius eſſe creditur, apud Deum ſapientius eſt, illi propterea, qui antequam diuinis acquieſcerent verbis, aliquibus prius certiorari exquiſierunt demonſtrationibus, & ſignis, à Domino incredulitatis, & arrogantiæ repræhenſi fuere, *Luc. c. p. nu.* 18. 19. *&* 20. *Apoſt. p. ad Cor. d. c. ſ. nu.* 22. *Luc. c.* 11. *nu.* 29. *Malach. c.* 3. *nu.* 15. *Prou. c.* 16. *nu.* 5. Centurio verò, qui ſe promptum, & paratum præbuit ſoli diuino credere verbo, ſupereminenti fuit commendatus fide: *Mat. c.* 8. *nu.* 8. 9. *&* 10. *Luc. c.* 7. *nu.* 7. 8. *&* 9. Nam, ſi diuinum verbum diuinæ eius eſt expreſſio voluntatis, & veritatis, quarum vtraq; eminentiſſimæ, & indeclinabilis eſt auctoritatis, & infallibilis, & immutabilis veritatis, quia à ſummo Dei procedunt imperio, ad cuius nutum etiam eminentiores ſpiritus cœleſtes obediunt, ſe incuruant, & tremunt, & ita faciant, ac omnes faciamus decet, & oportet, *Iſa. c.* 66. *nu.* 2. *&* 5. *Malach. c. p. nu.* 4. 11. *&* 14. *c.* 2. *nu.* 2. 3. 5. *&* 12. *c.* 3. *nu.* 15. *&* 16. *Num. c.* 23. *num.* 19. *Ie. c.* 17. *nu.* 17. *c.* 8. *nu.* 46. *Eſd.* 3. *c.* 4. *nu.* 38. *Sap. c.* 6. *nu.* 12. *&* 27. *Eccl. cap.* 24. *nu.* 32. *Apoſt. ad Heb. c.* 6. *nu.* 18. vt facilius ei noſtra acquieſcat mens, quo, quæſo, poterimus vlteriori egere, vel roborari auctoritatis, vel veritatis adminiculo? eſtne vlla forſan creatura ſuo auctoritate maior creatore, vel ipſa veracior veritate? Si ita ergo ſe habet, conſequenter etiam ſi facto quis eo ſe egere ſibi perſuaſerit, meritò ei incredulitati, vel præſumptioni, vel temeritati aſcribatur ipſa, quam quærit, perſuadet ratio: nam qui Diuino non acquieſcunt verbo, vt dicit *Apoſt. p. ad Tim. c.* 6. *nu.* 3. *&* 4. ſunt ſuperbi, & nihil ſciunt, ideò, huiuſmodi etſi ſemper in humanis proficiant ſapientijs, ad diuinæ tamē ſic per eos quæſitæ numquam peruenient ſcientiam veritatis, quia illam eamdem veritatem, quam quærere dicunt, in eodem, cui non

ac-

Digitized by Google

acquieſcunt, infuſam, atq; inexiſtentem verbo ſic reprobaſſe dicuntur, & reprobarunt verè, tum quia diuino qui non acquieſcunt verbo, ipſi dicuntur nolle acquieſcere Deo, quem velut fontem veritatis ſic illud per os proferentis alloquentem audire recuſantes, illius veritatem extra ſe inueniant, impoſſibile eſt, quia, quod ex ipſa non eſt veritate, mendacium ſit, conſequens eſt, *Apoſt. 2. ad Tim. c. 3. nu. 7. Ad Heb. c. 12. nu. 25. Ezech. c. 3. n. 7. Pſal. 118. nu. 160. Eccl. c. p. nu. 5. c. 24. nu. 38. Bar. c. 3. nu. 12. Io. c. 8. nu. 43. & ſua p. c. 2. nu. 21. Act. Apoſt. c. 4. nu. 19. c. 5. nu. 39.* tum quia aptum, & à Deo electum ad veritatem perueniendi reprobantes medium, & ineptum, & à Deo reprobatum eligentes ad illam perueniant, impoſſibile eſt, non ſecus, ac ſi quis ad ſpirituales curandas infirmitates noſtras malagmate, vel herbis pro diuino vteretur verbo, ad illarum perueniret ſanitatem impoſſibile eſſet, quia non herba, neq; malagma ſanat eas, ſed ſermo Dei, qui ſanat omnia, *Apoſt. p. ad Cor. d. c. 1. n. 19. 20. & 21. c. 3. nu. 19. Sap. c. 16. nu. 12. Io. c. 15. nu. 3.* Si ergo diuini ſui Deus elegit prædicationem verbi, vt eius medio ſaluos faceret credentes, non aliud, ſed illud prædicetur, & eo vtamur, vt ſaluemur oportet: & ſi virtus Dei in ſuo infuſa verbo eſt in ſalutem omni ei credenti, eis etiam vt huiuſmodi contingat ſalus, illi credant opoftet, quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, Apoſt. ad Rom. c. 1. nu. 16. c. 10. nu. 17. P. ad Cor. dd. c. p. nu. 21. & c. 3. nu. 19. Ad Heb. c. 4. nu. 2. c. 11. nu. 6.* etſi Eccleſia Dei, quæ corpus eſt Chriſti, in diuino eius ædificatur verbo, & ſuper eius conſtructionem nos tamquam viuentes lapides in fide ſuperædificamur, cuius eſt illud ſemen, & ædificationis huiuſmodi glutinum verum, atq; veritatis ſuæ æternum teſtimonium, *Act. Apoſt. c. 2. nu. 41. c. 3. nu. 22. & 23. c. 6. nu. 7. Mar. c. 4. nu. 14. Luc. c. 8. nu. 12. Pet. p. c. 2. num. 5. Iud. ſua vnica nu. 20.* vt in eo, tanquam in æterna conſtabilita veritate meritò columna diceretur veritatis, *Deut. d. c. 18. nu. 18. & 19. Zach. c. 6. nu. 15. Apoſt. ad Rom. d. c. 10. nu. 17. Ad Gal. c. 1. nu. 8. 9. 11. & 12. c. 3. nu. 3. & 5. Ad Eph. c. 1. nu. 13. c. 3. nu. 5. & 6. P. ad Tim. c. 3. nu. 15. P. ad Cor. c. 4. nu. 15. c. 9. nu. 16. & 17. c. 15. nu. 1. & 2. 2. ad eoſdem c. 11. nu. 4. P. ad Theſſ. c. 2. nu. 13. Mar. c. 16. nu. 15. & 16. Io. c. 5. nu. 24. c. 8. nu. 47. cap. 17. nu. 7 8. & 17. Act. Apoſt. c. 11. nu. 14. c. 20. num. 32.* ſuper quo ex Dei conſtructa decreto, ſicut, extrà illud qui poſiti fuerint, ſaluari non poſſunt, ſic extra illam quicumq; fuerint, ſaluari non poterunt, *Deut. d. c. 18. nu. 19. Act. Apoſt. c. 3. nu. 23. Io. c. 3. nu. 36. c. 5. nu. 38. Iſa. c. 41. nu. 11. c. 60. nu. 12,* nam extra eam non ex alio extiterunt, quam

Digitized by Google

quod, vel diuini noluerunt recipere, vel reprobarunt fundamentum veritatis verbi, extra quod nemo ſaluus eſſe poteſt, quoniam teſtimonium eſt illud, quod accipiamus, acceptum retineamus, oportet, quia; illud qui non accipit, Deum non habet, atq; in tenebris, & in morte manet: ab ipſo verò qui recedit, à Deo, & à propria recedit vita *Io. d. c. 3. nu. 36. c. 8. nu. 47. & ſua p. c. 2. nu. 14. c. 5. nu. 10. & ſec. nu. 9. Act. Apoſt. c. 2. nu. 41. c. 11. nu. 14. c. 13. nu. 46. Apoſt. 2. ad Theſſ. c. 2. nu. 10. Ad Heb. c. 3. nu. 7. 8. 12. & 14. c. 9. nu. 2. c. 6. nu. 5. c. 10. nu. 26. c. 12. nu. 25. Iſa. c. 59. nu. 21.* propterea ſcriptum eſt: *Quod, in nobis ſi permanſerit, quod audiuimus à principio, nos quoq; manebimus in Patre, & Filio: Io. p. c. 2. nu. 24. & 27. in fine, & 2. ad Electam nu. 9.* quia ſuper fundamentum illud, ſuper quod ab initio in hac ſancta ædificatione poſiti fuimus, permaneamus, oportet, *Pet. p. c. p. nu. 23. & 25. c. 2. nu. 8. & 9. Iac. c. 1. nu. 18. Apoſt. ad Heb. id. c. 3. nu. 14. c. 10. nu. 23. c. 12. nu. 25.* Huiuſmodi autem euidentiſſimis ſacrarum ſcripturarum auctoritatibus, & rationibus probata non ſolum virtute, vtilitate, veritate, efficacia, & neceſſitate diuini tradendi, audiendi, & retinendi verbi: & eius acceptio ſine præcedente eſſe non poſſit traditione, & ſine vtraque ipſa retentio, hinc etiam manifeſtè patet; quod ſicut ex defectu acceptionis reliqua, quæ poſt eam ſucceſſiuè ſubſequũtur, tamquam ab ea in eſſe dependentia omnia deficiant, conſequens eſt: ita deficiente traditione tamquam principio antecedenti neceſſario omnia penitus deficiant, conſequens eſt: Poſt illorum verò datam introductionem ſi rurſus de medio tollantur, non propriè deficientia dicenda erit, ſed ab ijs diſceſſio; quia re vera ab actualiter introductis propriè diſcedere dicimur, *Act. Apoſt. cap. 21. nu. 21.*

Cum vero ex eiuſdem diuini veritate verbi nobis conſtet, quod in nouiſſimis diebus auditores ita proterui euaſuri ſint, vt ſanam amplius non ſint perpeſſuri audire doctrinam, ſed ad deſideria ſua ſint ſibi coaceruaturi magiſtros prurientes auribus, & à veritate auditum auerſuri ſint, *Apoſt. 2. ad Tim. c. 4. nu. 3. & 4. iuncto 2. ad Cor. c. 13. nu. 3. Ad Gal. c. 1. n. 8. 9. 11. & 12.* & ſana iſta doctrina ipſum ſit diuinum verbum, *P. ad eumdem Tim. c. p. nu. 10. 11. c. 6. nu. 3. & 2. ad eumdem c. 1. nu. 13.* à quo auditum auertentes ab ipſa illum auertiſſe dicuntur veritate, quia *verbum Dei omne eſt veritas, Io. d. c. 17. nu. 17.* à qua illum auertentes ad fabulas conuertentur, quid enim deplorabilius excogitari, quid horridius audiri poteſt, quam quod homo, qui rationis eſt particeps, à Diuina iam cognita ſit diſceſſurus veritate; quæ propria

pria illius eſt vita, *Io. c.1. nu.4. c.6. num. 64. & 69.* & ad antiquas gentium ſit reuerſurus confabulationes? fidelibus quidē quin ſomnium viſúrum ſit non dubitamus, vtinam ita eſſet, ſed, qui dixit, mentiatur impoſſibile eſt, non quod ita eſſe velit, ſed quia ita futurum fore infallibiliter cognoſcit, *Apoſt. ad Heb. c.6. nu.18. Io. c.10. n.35.* Infandorum .n. idolorum cultura omnis fuit cauſa mali, initium, & miſerabilius eſt futura finis, *Sap. cap.15. nu.27.* de qua etiam ſic prophætatur, *Iſa. c.2. nu.20. & ſeqq. & cap.31. nu.7.* Cum enim finale iudicium acceſſerit, homo proijciet idola argenti ſui: Simulachra auri ſui, quæ fecerat ſibi, vt adoraret dæmonia, quoniam *omnes Dij gentium dæmonia, Pſal.95. nu.5.* ſub qua imagine? forſan illuſtrium virorum? (etſi hoc, nec etiam excuſarentur prætextu) ſed talparum, & veſpertilionum, nam malorū amatores digni ſunt, vt ſpem habeant in talibus, & qui faciunt ea, & qui diligunt, & qui colunt, *Sap. c.15. nu.6. c.11. nu.16. & 17. c.12. nu.24.* ſapientiam enim, & diſciplinam qui abiecerunt, ſunt ſupra modum infelices, & illorum ſpes vacua, & labores ſine fructu, & inutilia opera eorum, *Sap. c.3. nu.11.* huiuſmodi autem euentus rei quamnam putamus futuram fore cauſam? quid dicat, *Amos c.8. nu.11. & ſeqq.* attentè contemplemus, oportet, inquit enim: *Ecce dies venient, ait Dominus: Et mittam famem in terram, non famem panis, neq; ſitim aquæ, ſed audiendi verbum Domini, & commouebuntur à mari, vſq; ad mare: ab Aquilone, vſq; ad Orientem, & circuibunt quærentes verbum Domini, & non inuenient, & in die illa deficient virgines pulchræ, & adoleſcentes in ſiti, & qui iurant in idolis dicentes: viuit Deus tuus Dan: viuit via Berſabee, cadent, & non reſurgent.* Sed dicet quis forſan, quid inde ſequitur? Ignoramus forſan, quod verbum Domini ſupernaturalis ſit cibus ille, & potus, ex quo, ſeù quibus animæ noſtræ refocillantur, & viuunt? *Deut. c.8. n.3. Mat. & Luc. c.4. n.4. Sap. c.16. n.26.* His ergo deficientibus reliquum eſt, vt animæ illæ, quæ prius tam pulchræ, & venuſtæ erant, fame, & ſiti diſpereant, quoniam huiuſmodi panis, & potus illarum eſt vita verè, *Io. cap.6. nu.64. & 69.* etſi fides eſt ex auditu, & auditus iſte à diuino oritur verbo, *Apoſt. ad Rom. c. 10. nu.17. ad Heb. c.3. nu.8. 15. 18. & 19. c.4. nu.2.* ceſſante verbo, ceſſet auditus: ceſſante auditu non oriatur fides, conſequens eſt, immo hoc conſeruatiuo deficiente cibo, & potu à fide deficiant etiam, conſequens eſſe videtur, quia per illud idem medium, per quod quid acquirimus, per illud idem id & conſeruamus, *Iſa. d.c.59. nu. 21. Ier. c. 7. num. 28. Apoſt. 2. ad Tim. c. 3. nu.5. c.4. nu.4.* & forſan hæc erit diſceſſio illa, de

 qua

qua *idem Apoſt.* loquitur *2. ad Theſſ. c.2. nu.3.* propterea *P. ad Tim. c.4. nu.1. & ſeqq.* ait: *Spiritus autem manifeſtè dicit: Quod in nouiſſimis temporibus diſcedent quidam à fide &c.* propter quid? non ex alio certè, quam quia in eo, in quo poſiti erant, & ſtare debebant, non permanebunt verbo. *Pet. p. c.p. nu.23. & 25. c. 2. nu.8. Iac. c.2. nu. 18. Apoſt. ad Heb. c.3. nu.14. c.12. nu.25. Ad Coloſ. c.1. nu.23. Io.1. d. c. 2. nu. 24. & 27. 2. Electa nu. 9.* Propter quid enim tot exurrexerunt Hæreſiarchæ? niſi quia à forma ſanorum Dei verborum à D. N. Ieſu Chriſto nobis tradita, & commendata receſſerunt, *Apoſt. 1. ad Tim. c.6. n.3.4.20. & 21. 2. ad eumdem c.p. nu.13. & 14. c.2. nu.16. 17. & 18. c.3. num. 14. & ſeqq. vſq; ad fin. cap. 2. ad Cor. c. 13. nu. 3.* Propter quid eorum auditores ſimiliter à fide receſſerunt? niſi quia, vt ventoſa verba, & profanas huiuſmodi factioſorum hominum audirent nouitates, à diuinis verbis, in quibus poſiti erant, & ſtare debebant, receſſerunt, recedentes à fide diſceſſerunt, *Ier. dd. c.7. nu.28. c.8. nu.9. c. 23. nu. 22. 28. & 29. Iſa. d. c.59. nu.21. & alijs ſuperius allegatis ſcripturæ locis*: nam ſicut non ex alio, quã ex tritici ſemine, poteſt oriri triticum, quia in eo priuatiuè ab alijs ſeminibus à Deo huiuſmodi fuit infuſa virtus, *Gen. c.1. nu. 12.* diuino ſic verbo huiuſmodi, & ſupraenumeratæ aliæ, immo infinitè plures, quam ibi expreſsæ ſunt, infuſæ fuerunt virtutes, quo non ſeminato non oriantur, vel proiecto à proijcientibus, recedant, conſequens eſt, propterea verbum Dei depoſitum eſſe dicitur, & eſt verè à Deo conſtitutum, & præſcriptum, ac in manus conſignatum, & in os poſitum eorum, illud qui annunciare debent, vt quod, quale, & qualiter eis fuerit conſignatum idem, tale, & taliter his, quibus reddi fuerit demandatum, inuiolabiliter reddatur, neceſſe eſt, quia depoſitum ſua eſt immutabile natura, ideo non mutetur, non adulteretur, non confundatur, ſed, prout à Deo acceptũ fuit, reddatur, oportet, *Mar. c. 4. nu.24. c.16. nu.15. c.8. nu. 38. Luc. c.8. nu.18. c.9. num. 26. c.24. nu. 27. & 32. Mat. c.28. nu.20. Io. c. 21. nu.31. & ſua p. c.2 num.27. Ion. c.p. nu.12. Ezech. c.3. nu.10. 11. 17. 18. & 27. Ier. d. c.32. nu.22. c.5. nu.28. Apoſt. p. ad Tim. c.p. nu.3. c.6. nu.3. & 20. 2. ad eumdem c.1. nu.8. 13. & 14. c.2. nu.15. & 16. c.3. nu.14. 15. & 16. P. ad Theſſ. c.p. nu.7. & 8. c.2. nu.13. 2. ad eoſdem c.2. nu.14. Ad Eph. c.4. nu. 21. P. ad Cor. cap.9. nu. 16. & 17. c. 15. nu.1. & 2. 2. ad eoſdem c. 11. nu.4. Ad Gal. c.1. nu.7. 8. 11. & 12. Io. 2. ad Electam nu. 9. & vbiq; per innumerabilia ferè ſacræ ſcripturæ loca.*

Sancti propterea Apoſtoli nos ſæpiſſimè monuerũt, vt à nouis ca-

uere-

uerenius doctrinis, quoniam per eas in maximas poſſumus incidere fallacias, vt non pauci fecerunt. Noua autem doctrina eſt illa, quæ vel à diuinis verbis, vel ab eorum veris, & approbatis recedit ſenſibus, nam ſi in ijs permaneret, & fundata eſſet nullo modo ſecundum prædictorum Apoſtolorum mentem, & intentionem noua dici poſſet, etiam ſi ab aliquo, vel aliquibus immo à multis non fuiſſet audita, vel intellectu percepta, quia cum ab eodem æterno procedat veritatis fonte, à quo mendacium nullum eſſe poteſt, vera ſit, conſequens eſt. *Act. Apoſt. c.2. nu.33. c.4. nu.20. c.17. nu.20. cap.20. num.30. Apoſt. ad Heb. c.13. nu.7. 8. & 9. c. 12. nu.25. P. ad Tim. c.5. nu.21. cap.6. nu.3. & 4. 2. ad eumdem c.1. nu.13. & 14. c.4. nu.3. P. ad Cor. c. 14. num. 36. & 38. c.15. nu.3. 2. ad eoſdem c.11. nu.4. c.13. nu. 3. 8. & 10. ad Gal. d. c.p. nu.8. 9. 11. et 12. Ad Philip. c.3. nu. 15. Pſal. 18. num. 8. et 9. Pſal. 118. nu.105. & 160. Prou. c.6. nu.23. Io. c.8. nu.25. 26. et 46. c. 12. num. 50. c.14. nu.6. et 26. c.15. nu.26. cap.16. nu.13. c.17. nu.8. et 17. c.p. nu.9. & ſua p. c.2. nu.27. cap.5. nu.10. Eccl. c.24. nu.25. 37. 44. & 46. & paſſim per vniuerſa ſcripturæ loca.* Nam ſi Deus ſua euangelizare debentibus aſſignauit verba pro ſupernaturali ſuæ diſſeminandæ fidei ſemine vero, illam cur quis contendat alieni ſerere ſemine verbi, ſi vnicuiq; ſemini non alienæ, ſed propriæ producendæ dedit virtutem ſpeciei? *Gen. d.c.1. nu.12. Mar. c.16. nu.15. c.4. nu.14. et 24. Luc. c.8. nu. 12. et 18. Mat. c.13. nu.25. et 26. Apoſt. ad Rom. c.10. nu.17. P. ad Cor. c. p. nu. 21. Pet. p. d. c.p. nu.23. et 25. Iac. c.1. nu.18. Iſa. c.59. nu.21. Ier. dd. c.7. num. 28. c.8. nu.9. c.23. nu.22. 28. 29. Ezech. d. c.3. nu.10. 17. et 27. Io. c.8. nu. 31. 43. et 47. cap. 10. num. 5. et 27.* etſi diuina verba à Deo nobis aſſignata fuerunt, tamquam media apta ad eius ſanctam indagandam, & cognoſcendam veritatem, & voluntatem, quoniam noſtri ſunt lucerna, & lumen intellectus, cur quis alienis vtetur verbis, & doctrinis? *Pſal. 93. nu.12. Pſal. 118. nu.105. et 160. Iſa. c. 54. nu.13. Io. cap.6. nu.45. c.17. nu.8. et 17. Sap. c.6. nu.12. et 27. Eccl. c.2. nu.2. c.6. num. 33. & 34. cap.24. nu.34.* & tandem ſi D. N. I. Chriſtus, qui omnium eſt ſupernaturalia tradentium, & euangelizantium caput, exemplar, & magiſter, in hoc nobis à Patre datus, vt quæ proficua, & neceſſaria eſſent nobis, nos doceret, & viam, per quam ad Patrem ituri eſſemus, nobis proſterneret, & monſtraret, non aliter, quam paterna nobis referēdo verba iuxta præceptum Patris omnibus prædicauit, ac omnes docuit prædicare, & docere iuſſit, *Iſa. cap.30. nu.20. & 21. cap.41. nu.27. c. 49. nu.6. cap. 54. nu.16. et 17. Deut. c.18. nu.18. et 19. Mat. c.11. nu.27.*

Digitized by Google

nu.27. cap.13. nu.35. c.23. nu.8. Io. c.8. nu.25. 26. c.12. nu.48. et 50. c.15. nu.15. c.14. nu.24. et d. c. 17. nu.7. 8. et 17. et ſua p. cap. 2. nu. 27. et 2. ad Electam nu.9. Act. Apoſt. c.3. nu.22. c.4. nu. 19. et 20. c. 7. nu. 37. Eccl. d. c. 24. nu.25. 37. 44. et 46. de hoc conteſtando dicens: Quod *non eſt diſcipulus ſuper magiſtrum, nec Apoſtolus eo maior, qui miſit eum, ſed ſat* erit ſi ſit, & faciat, ſicut magiſter eius, *Mat. c. 10. nu. 24. Luc. cap.6. nu. 40. Io. cap.15. nu.16.* cur non ita facient eius miniſtri, & diſpenſatores verbi? *Act. Apoſt. c.20. nu.24. Apoſt. p. ad Cor. c.p. nu.21. c.3. nu. 5. 6. et 7. c.9. nu.16. 2. ad eoſdem c. 11. nu. 4. Ad Gal. d. c.1. nu.8. 9. 11. et 12. P. ad Tim. d. c.6. nu.3. 4. et 20. et 2. ad eumdem c.4. nu. 2. 3. 4. et 5. Ezech. d. c.3. nu.17. et 27. c. 13. nu.3. 6. et 11. iuncto Ier. c. 23. nu. 22. 28. et 29.* Vnuſquiſq; igitur animaduertere debet, quæ, qualia, & qualiter nobis à Domino noſtro Ieſu Chriſto ſubminiſtrata, & conſignata fuerint, & quemadmodum ille fecit, & docuit, & ipſe faciat, & doceat. *Mar. c.4. nu.24. c.8. nu.38. cap.13. nu.37. Luc. c.8. nu.18. c.6. nu.40. Mat. c.10. nu.24. & 25. c.28. nu. 20. Io. c.13. nu. 15. et 16. c. 15. nu. 7. et 20. & ſua p. c. 2. nu.6. et 27. Iſa. d. c. 59. nu. 21. Act. Apoſt. d. cap. 4. nu.19. et 20. Ezech. c.3. nu.7. Apoſt. ad Heb. c.13. nu. 7. P. ad Cor. cap. 4. num.1.* Reliquum eſt ergo, vt quod, & quale huiuſmodi ſit miniſterium videamus, & qui, & quales ſint, & eſſe debeant diuini diſpenſatores verbi.

C A P. I.

MIniſtri, ſeu diſpenſatores diuini verbi ſunt hi, qui à Deo miſſi ſunt, vel mittentur eius annunciare verbum, *Apoſt. ad Rom. c. 10. nu.15. Ad Gal. d. c.p. nu.11. et 12. P. ad Cor. c.9. num. 16. et 17. Ad Eph. c.3. nu.3. & alijs ſuperius, & inferius allegatis, et allegandis,* qui eius veluti legatione fungentes, quæ ab eo in commiſſis receperunt, ad eos, ad quos miſſi ſunt, ea fideliter referunt, & annunciant verba, quomodo ab eo recepta fuerunt, eis nihil addentes, vel ab ijs ſubtrahentes, *Apoſt. p. ad Cor. c.4. nu.p. 2. et 7. d. c.9. nu.16. et 23. 2. ad eoſdem c.5. nu.20. Ad Gal. d. c.1. nu.11. et 12. ad Eph. c. 6. nu. 19. et 20. P. ad Theſſ. c.2. nu.13. P. ad Tim. c.5. nu.21. Abd. c.p. nu.p. Prou. c.30. nu.6. Deut. c.4. nu.2.* In hoc enim quis legationem mittit, vt miſſus ea in indiuiduo, quæ in commiſſis à ſe recepit ad eos, ad quos eum mittit, referat, & annunciet, vt ſic eis annũciata ab ipſis audiantur, audita opere compleantur. *Deut. c.18. nu. 15. 16. 17. et 18. c.5. nu.31. Pſal. 17. nu.45. Pſal. 77. nu.p. 2. et 7. Pſal. 118. nu.9. 43. 44. et 105. Ier. c.7. nu. 28. Apoſt. ad*

Coloſ.

Coloſ. c.p. nu.9. et 10. P. ad Theſſ. d.c.2. nu.13. c.4. nu.p. et 8. 2. ad eoſdem c.2. nu.13. et 14. P. ad Tim. c.p. nu.15. et 16. 2. ad eumdem c.3. nu. 14. 15. et 16. Iac. c.2. nu.18. et 26. nam & ipſe Deus Pater ſuum mittens vnigenitum filium, quid ſibi iuxta placitum ſuum loquendum, & faciendum eſſet, ei in commiſſis dedit, & ſua in eius ore verba poſuit, vt, quemadmodum à ſe ei præſcripta fuerant, eis, ad quos illum miſſurus erat, loqueretur illa, filius autem iuxta Patris placitum verbo, & opere complens, nullatenus eius præterijt mandatum, ſed ad amuſſim impleuit, *Deut. c.18. n.18. Io. c.5. nu. 19. 20. & 37. et 38. c.6. nu.38. c.8. nu.25. 26. 29. 40. & 42. c.12. nu.49. et 50. c.14. nu. 10. et 31. Pſal.2. nu.6.* Chriſtus ergò, qui natura Dei filius eſt, à Patre miſſus paternæ arctè cuſtodiens iura legationis à ſe ipſo nihil vnquam locutus eſt, vel fecit, niſi quod Patrem loquentem, & facientem audiuit, vel vidit dicens: *Sicut dixit mihi Pater, ſic loquor, & ſicut ipſe mandatum dedit mihi, ſic facio, Io.d. c.5. nu.19. 20. 30. 36. 37. et 38. c.6. nu. 29. 38. c.7. nu.18. c.8. nu.26. 28. & 38. c.12. nu. 48. et 50. c.14. nu.10. c.15. nu.15. c. 17. nu.7. 8. & 17.* Chriſtus non ſecus, ac eum miſit Pater, & ipſe ſuos miſit legatos ſic illis dicens: *Ego mitto vos, ſicut miſit me Pater: Io. c.17. nu.18. c.20. nu.21.* quibus à ſuo quæcumq; audiuit Patre nota faciens, eaq; in eorum ore ponens quid loquerentur, & facerent, mandatum dedit dicens: *Ite in vniuerſum mundum, & prædicate Euangelium meum omni creaturæ, docentes eos ſeruare quæcumq; mandaui vobis. Mar. c. 16. nu. 15. Mat. c.28. nu.19. et 20. Io. c.15. nu. 15.* Hi autem, quibus alicuius in ore ſunt poſita verba, nil vltra, vel præter ea, quæ ad os eis in commiſſis tradita ſunt, penitus alloqui, vel facere debent, ſed ſicut eis fuerunt in commiſſione dictata, & præſcripta, ad illos, ad quos miſſi ſunt, ad vnguem referre debent: *2. Reg. c.14. nu.3. & 19. Ier. c.36. nu. 2. 4. et 6. Exod. c.4. nu.15.* quoniam hi commiſſorum verborum ſunt relatores meri, *Ier. c.36. nu.18. Ezech. c. 22. nu. 28.* eorum propterea relatio, ſeu prædicatio, accepti dicitur diffamatio verbi, ipſi verò illius eſſe diffamatores, *Apoſt. p. ad Theſſ. c.p. nu.8. Act. Apoſt. c.13. nu.49.* ex quibus manifeſtè deducimus, ac deducere debemus: quod Chriſti miniſtros illius decet præcepta ſeruare, ſicut ipſe Patris ſui, cui miniſtrum ſe præbuit, præcepta ſeruauit, *Io. d. cap.15. nu. 10.* Illiuſq; memores eſſe verborum, ſicut & ipſe verborum Patris ſui memor fuit, *Io. c.15. nu.7. et 20. Luc. c 8. nu. 18. Apoc. c.2. nu. 4.* ad illiuſq; exemplum nequidquam facere, vel dicere, niſi quod ipſum loquentem, vel facientem audierint, vel viderint, eaq; fiducialiter, ac fideliter ijs, ad

quos

Digitized by Google

quos eorum eſt directa legatio ad vnguẽ referre; & nota facere, *Mat. c. 10. n. 27. Luc. c. 12. n. 3.* quoniam id, vt dictum eſt, eorum eſt muneris officium, *Act. Apoſt. c. 20. nu. 24.* Idcircò *Apoſt. ad Ephe. c. 6. n. 19. & 20,* ait: *orate pro me, vt detur mihi ſermo in aperitione oris mei cum fiducia notum facere myſterium Euangelij, pro quo legatione fungor in catena, ita vt in ipſo audeam, prout oportet me loqui.* Miſſum autem loqui oportet verba eius, qui miſit eum; ex eo non ſolum, quia cum ab ipſo in commiſſis ea, vt præcisè referat, acceperit, ſit eorum effectus relator merus, vt ſuo loco plenius dicetur, verum etiam, quia & eius verba, & opera cuncta de illo enuncient oporteat, quis fuerit is, qui miſit illum, ad hoc vt ipſa non violetur forma legationis: non ignòretur perſona legationem mittentis, pſeudo non ſe inſinuent in ipſa legatione legati, quæ vtiq; dignoſci nõ poſſent, ſi legatus propria, vel aliena alloqueretur verba, *Io. d. c. 5. nu. 36. 43. & 44. c. 7. nu. 18. c. 8. nu. 43. c. 10. nu. 37. 38.* Nam cum agentis intentio, & finis ipſius ſint actus forma indiuiſibilis, illum per conſequens ſic indiuiduant actum, vt aliter, quam ab eo fuerit inſtitutus, & ordinatus ſe habeat impoſſibile ſit, ita vt aliter ſi fieri contingat non amplius idem, vel ipſius, ſed alius, vel alterius ſit, & eſſe dicatur verè: Legationem verò mittentis ſit intentio, & finis, vt verba ſuo à ſe in commiſſis conſignata legato ad eos, ad quos eum miſit, per eũm fideliter referantur, vt ſic per eum relata ab ore tanquam prodeuntia mittentis reuereantur, reuerita humiliter ſuſcipiantur, ſuſcepta diligenter opere complectantur, vt legatio deſtinatum ſuum ſortiatur finem, & effectum, *Deut. d. c. 18. nu. 18. et 19. Mat. c. 17. nu. 5. Mar. c. 9. nu. 6. Luc. c. 9. nu. 35. Pet. 2. c. 1. nu. 17.* Per huiuſmodi propterea indiuiduam verborum relationem formæ tanquam actus ipſius legationis ipſe referens, à quo ſit miſſus, & cuius ſit legatus manifeſtè demonſtret: per eamdem ſimiliter & audiens, à quo fuerit ille miſſus, & cuius legatus exiſtat, manifeſtè cognoſcat. Sicut ergo, verba Dei qui loquitur, Dei ſe eſſe legatum manifeſtè demonſtrat, ab ijs ſic, qui audiunt illum, pro tali dignoſcatur, & audiatur, oportet, alias diuinæ ſe ſupponunt vltioni, *Deut. d. c. 18. nu. 19. Io. c. 3. nu. 36.* quia diuinorum allocutio verborum, quam nobis exhibet legatus, velut credentialis eſt epiſtola illa, quam à Deo nobis præſentat, cuius tenore irrefragabiliter cognoſcimus, eum verè Dei eſſe legatum ex ipſius ſpiritus Dei teſtimonio, *Io. d. c. 3. nu. 34.* dicentis: *ille, quem miſit Deus, verba Dei loquitur.* Sicut ergo in hoc legatum eum à Deo miſſum eſſe cognoſcimus, ſi verba Dei loqua-

Digitized by Google

loquatur: Sic è contra non à Deo miſſum fuiſſe cognoſcemus, ſi propria, vel aliena verba loquatur, *Io. c.* 5. *nu.* 43. neq; obſtat: quod ibi dicatur: nomine proprio: non autem propria verba loquatur, quia propria loqui verba,& proprio loqui nomine idem ſignificant, ſe inuicem enim habent, vt phraſis,& periphraſis,quæ in ipſo duntaxat dicendi modo, non in ſignificatæ rei ſubſtantia differunt, *Io. d. c.* 3. *nu.* 34. iunctis ijs, quæ à *B. Iacobo* dicuntur *eius cap.* 5. *num.* 10. propriam propterea annuncians Antichriſtus ſcientiam, & opera, *Iſa. c.* 10. *nu.* 13. proprio dicitur alloqui nomine, *Io. d. c.* 5. *nu.* 43. ſic alloquens, non Chriſti legatus, ſed aduerſus Chriſtum eſſe dicetur; Sicut & actu practico ex ipſa diuerſarum animaduertimus euenire diſciplinarum traditione, nam Dei qui annunciat Euangelium, Dei dicitur nomine loqui,& ab eius doctrina, quæ vniuerſalis eſt, & omnes obligat,tum catholicus,tū euangelicus dicitur prædicator: falſa qui exantlat Caluini dogmata, Caluini dicitur nomine loqui, & ab eius errorum doctrinæ, quæ illius ſingularis fuit, promulgatione caluiniſta dicitur prædicator: Pythagoræ qui placita erudit, illius dicitur nomine loqui,& ab illius ſectatione doctrinæ Pythagoricus dicitur: ſic Ariſtotelis, & aliorum, vt ſuo loco dicetur. Non ergo ad aliorum morem, vel ex proprio cuiuſq; libito, ſed iuxta methodum, & formam ſibi ipſis à Deo præſcriptam, & beneplacitam adminiſtrare, & annunciare debent miniſtri diuini verbi, *Apoſt. p. ad Cor. c.* 12. *nu.* 11. *c.* 2. *nu.* 2. *&* 5. *ad Eph. c.* 4. *nu.* 6. 2. *ad Tim. c.* 3. *nu.* 14. eiuſq; coadiutores à ſe ipſis nequidquam ponere, ſed ea tantummodo referre, quæ ab ipſo acceperunt Deo, 2. *Reg. c.* 14. *nu.* 3. *&* 19. *in fin. &* 20. *Deut. d. c.* 18. *nu.* 18. *&* 19. *Ier. d. c.* 36. *nu.* 18. *Apoſt. ad Coloſ. c.* 4. *nu.* 3. *&* 4. nam ſicut, qui miniſtrat, & coadiuuat, ſunt vnum tantum, *Apoſt. p. ad Cor. c.* 3. *nu.* 4. 5. 6. *&* 8. eorum ſic neutrius eſt labor, qui in eſſe quidquam ponat,ſed ipſius adminiſtrati eſt virtus verbi,quæ ea,quæ cōſequūtur, operatur omnia. *Apoſt. p. ad Tim. c. p. nu.* 15. *c.* 4. *nu.* 9. *&* 2. *c.* 2. *nu.* 8. 9. *&* 10. *ad Heb. c. p. nu.* 3. non enim, qui plantat, vel rigat, vegetationis, vel accretionis motor,vel auctor eſt, ſed,qui vegetandi,& accreſcendi virtutem, & additamenta tribuit. *Apoſt. p. ad Cor. c.* 3. *num.* 6. *&* 7. ex his etiam conſequenter apparet: quod diuini miniſtrorum verbi, fideiq; cooperatorum munus eſt ea, quæ à Domino acceperunt, fideliter referre verba, & ea, quemadmodum ab eo prolata fuerunt, ad vnguem proferre, non autem alieno ea confundere ſermone, *Ezech. c.* 3. *nu.* 18. 19. *&* 27. *Iſa. c.* 40. *nu.* 6. *Num. c.* 22. *nu.* 35. 38. *c.* 23. *nu.* 5. 8.

9. 12. 19. 20. & 26. c.24. nu.1. 2. 3. 13. Act. Apoſt. d.c.20.nu.24. Apoſt. p. ad Cor. c.15. nu.1. 2.3. Ad Coloſ. d.c. 4. nu.3. 4. 17. P. ad Theſſ. c.2. nu. 4. & 13. In eiuſmodi enim eorum explicatione muneris ſunt quaſi inſtrumentalis verborum Dei enunciatrix vox quædam, qualem Sãctus Chriſti præcurſor ad eruditionem noſtram prædicantem ſe eſſe affirmauit dicens: *Ego ſum vox clamantis in deſerto, parate viam Domini &c. Mat.c.3. nu.3. Mar.c.p. nu.3. Luc.c.3. nu.4. Io. c.p. num. 22. 23. & 25. Iſa. c. 40. nu.3.* velutue tuba, quæ non, niſi quem à tibicine recipit, emittit cantum, *Iſa.c.58.nu.1.* ibi Domino ei ſic dicente: *clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & Ier.c.6.nu.17.* dicente: *& conſtitui ſuper vos ſpeculatores* (ipſi qui ſunt prædicatores, *Ezech.c.3. nu.17. c. 33. nu.7.*) *& dixi: audite vocem tubæ*, eorum quia prædicatio vox eſt tanquam tubæ, ea quæ tantum eructat, quæ ſibi inſufflata ſunt: de ſuo enim miniſter Dei nequidquam ponit, ponereue debet, niſi os, & inſtrumentalem ab eo elabentem vocem, qua verbum, quod, & quale à Domino accepit, pronunciet, & exprimat oportet, de eo Balaam, *Num.c.22.nu.18.* ſic alloquente: *Si dederit mihi Balac plenam domum auri, & argenti, non potero immutare verbum Domini, vt plus, vel minus loquar.* Ponit enim Deus verba ſua in ore miniſtri ſui, *Num. c.23. nu.5. & 16.* & ipſe, qualia à Domino accepit, eructat, & canit. *Num. d.c.23. nu.12. & 26. Mich.c.6. nu.5.* Dei ergo ſermonem nemo præterire poteſt, vt quid vel minimum proferat ex corde ſuo, ſed quidquid dixerit Deus hoc loqui debet, *Num.c.24 nu.13. Ier.c.23.nu.16.28. & ſeq. vſq; ad 32. Ezech. c.13. nu.2. & 3.* Nam miſſimet ipſi ſi non propriam, ſed mittentis ſe referunt perſonam, *Mat. c.10.nu.40.* cur non magis, quam propria, quæ referunt, mittentis ſe debebunt eſſe verba, vel facta, ſi à perſona, quam referunt, procedunt, & pendent hæc omnia? Etſi os eorum, qui miſſi ſunt, non proprium eſt os, ſed eius, qui miſit eos, *Exod.c.4. nu.16. & 28.* ab iſto cur, quæ prodibunt ore, non mittentis ſe potius, quam propria debebunt eſſe verba? Etſi, ex qua hæc formantur verba, non miſſi, ſed mittentis ſe vox eſt. *Luc. c. 10. nu. 16. Agg. c.1. nu. 12.* ex ea cur formata non mittentis ſe debebunt eſſe verba? Etſi ille demum, verba hæc qui emittit, non miſſi, ſed mittentis ſe ſpiritus eſt, *Reg. 2. d.c.23. nu.4.* cur ab eo emiſſa non etiam mittentis ſe potius, quam propria debebunt eſſe verba? A Deo igitur, qui miſſi ſunt, per eos omnia annuncianda verba ab illius non ſolum ſuſcipiant ore, & ad eos, ad quos miſſi ſunt, prout ſibi ipſis ab eo præſcripta, & dictata fuerunt ad vnguem referant oportet, verum

etiam

321

etiam, & in illis referendis ea non tanquam ex ſe, vllo vel alio, ſed ex ipſo, cuius ſunt verè, proferant, & annuncient Deo, neceſſe habent, *Ezech. d. c. 3. nu. 17. Apoſt. p. ad Cor. cap. 14. nu. 36. Act. Apoſt. c. 2. nu. 4. 32. & 33.* cuius verus eſt dicti ſenſus: quod etiam in illis referendis conſtanter affirmare, & proteſtare debent: quod non ſua, vel alterius, ſed ipſius tantummodo ſint Dei, ea qui protulit, & miſit eos ad annunciandum illa, *Io. c. 14. nu. 24. Apoſt. p. ad Cor. d. c. 14. nu. 36. ad Gal. c. p. nu. 11. & 12. P. ad Theſſ. c. p. nu. 8. c. 2. nu. 4. & 13.* ecce ergo; quod miſſi verba non ſolum, ipſius quæ ſint tantummodo Dei, auditoribus ſuis exhibere debent, ſed & in illis exhibendis non ſuo, vel alterius, ſed Dei ſolius ea proferre nomine, & auctoritate, ne alij, quam ſoli Deo, gloria reddatur, cuius ſolius, & prædicatum verbum, & prædicati eſt gloria verbi. *Deut. d. c. 18. nu. 18. & 19. Io. d. c. 5. nu. 40. 41. & 44.* quia à ſe ipſo qui quidquam loquitur, cuius ipſum non faciet auctorem Deum, ſitq; verè, non ex Deo, ipſiuſue Dei dicitur nomine loqui, nec illius, ſed propriam quærere gloriam. *Iac. d. c. 5. nu. 10. Io. c. 7. nu. 17. & 18. & d. c. 5. nu. 44. Apoſt. p. ad Cor. c. p. nu. 29. & 31.* Siq; miſſi qui ſunt, eius ſunt teſtes, qui miſit eos, *Iſa. c. 43. nu. 10. & 12. c. 44. nu. 8. Act. Apoſt. c. p. nu. 8. Apoc. c. 1. nu. 2.* ei conſequenter ſoli, & de eo ſolo, non ſibi, de ſe, vel alijs teſtimonium perhibeant oportet, *Io. c. 15. nu. 26. & 27.* Teſtimonium autem hoc, ei quod perhibendum eſt, verbum eſt, vel factum, quod ab ore eius, cuius ſe dicunt eſſe teſtes, proceſſiſſe, factumue ab eo fuiſſe, audierunt, vel viderunt, *Io. c. 1. nu. 34. c. 3. nu. 21. et 32. c. 8. nu. 26. 38. 40. & 55. & eiuſdem p. c. 1. nu. 1. 2. & 5.* in hunc finem, vt per huiuſmodi atteſtati expreſſionem verbi, vel facti ei, cuius illa ſunt, ea adhibeatur fides, quã illius meretur perſonæ veracitas, vt per fidem eiuſmodi illum veracem, & fidelem: credentes, & confitentes ſalui fiant: *Io. c. 5. nu. 24. 38. & 39. c. 20. nu. 31. Apoſt. ad Rom. c. 10. num. 10. Iſa. d. c. 43. num. 10. Pſal. 144. nu. 13. Num. c. 23. nu. 19.* Dei autem Patris teſtimonium verbum eſt illud, quod Pater de filio ſuo à ſe miſſo teſtificatus eſt dicens: *Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite:* quaſi diceret: quia illum audientes me audietis, cuius erunt ea, quæ vobis loquetur verba, *Io. c. 5. num. 37. & eiuſdem p. c. 5. num. 10. Mat. c. 17. nu. 5. Mar. c. 9. nu. 6. Pet. 2. c. 1. nu. 17. Deut. d. cap. 18. num. 18. et 19.* Teſtimonium verò Chriſti eius eſt euangelicum verbum, quod de Patre ſuo teſtificatus eſt affirmans: quod omnia à ſe tradita præcepta, & verba ipſius erant verba, & præcepta Patris, per os illius allo-

quentis. *Pſal. 2. nu. 6. Io. c. 3. nu. 32. c. 12. nu. 49. & 50. c. 14. nu. 24. c. 17. nu. 8. Apoſt. p. ad Cor. c. 2. nu. 1. ad Heb. c. 1. nu. 2. Apoc. c. p. nu. 2. 9. c. 12. nu. 11. c. 20. nu. 4.* Chriſtum ideo Verbum viuens Patris, & verba, quæ de eo teſtificatus eſt Pater, qui annunciat, & prædicat, Patri teſtimonium perhibet, quoniam eius viuens confitetur, & annunciat verbum, & verba teſtimonij ſui; *Io. c. p. nu. p. c. 5. nu. 37. & eiuſdem p. c. 3. nu. 23. c. 5. nu. 10. et 11. et 2. ad Electam nu. 4. 6. et 7. Apoſt. ad Rom. c. 10. nu. 8. & 9. Apoc. c. 1. nu. 2. et 9.* Similiter & filio teſtimonium perhibet, quia filius, & Pater vnum ſunt ſubſtantia tantum, eorumq; verba & ipſa ſunt vnum, & idem, quia eiuſdem vnius & ipſa ſunt verba Dei. *Io. c. 10. nu. 30. c. 17. nu. 11. & 22. dd. cap. 12. nu. 49. 50. c. 14. nu. 24. c. 16. nu. 15. c. 17. nu. 10.* quod qui accipit teſtimonium, hunc ſignauit Deus, quoniam *fidelis, & verax eſt in omnibus verbis ſuis, Io. c. 3. nu. 34. c. 6. nu. 27. Pſal. 144. nu. 13.* Euangelicum pariter qui annunciat verbum, Patri teſtimoniũ perhibet, quoniã illud allocutus eſt in filio ſuo, *Deut. d. c. 18. nu. 19. Apoſt. ad Heb. d. c. p. nu. 2. Io. c. 6. nu. 29. c. 17. nu. 3. & eiuſdem p. c. 3. nu. 23.* filio quoq; teſtimonium perhibet, eius quoniam confitetur, & annunciat atteſtationem ſui à ſe Euangelizatum verbum affirmantem eſſe Patris, per quam eum verè cognoſcimus eſſe Chriſtum à Patre promiſſum, *Apoſt. 1. ad Cor. c. 2. nu. 1. & P. ad Tim. c. 6. nu. 13. Apoc. c. 1. nu. 9. c. 12. nu. 17. c. 20. nu. 4. Io. c. 5. nu. 24. et 43. c. 8. nu. 26. 38. c. 18. num 37.* Cui & qui credit, eius accipit teſtimonium, quod qui accipit, æternam, quam nobis repromiſit Deus, accipit vitam, quæ vita ipſe eſt Chriſtus, quem accipimus, eius accipiendo verbum, vt ſuo latius dicetur loco, *Io. c. 3. nu. 11. 12. 15. 16. 32. et 33. c. 5. nu. 24. et 40. cap. 10. nu. 28. et ſua p. c. 2. nu. 25. c. 5. nu. 18.* propterea ſcriptum eſt, quod, *eius qui credit verbo, vitam habet, qui autem ei incredulus eſt, vitam non habet, ſed ira Dei manet ſuper eum, Io. d. c. 5. nu. 24. et 40, c. 3. nu. 36. c. 6. nu. 64. et 69. & ſua p. d. c. 5. nu. 10. 11. et 18. Act. Apoſt. c. 13. nu. 46.* Sicut ergo Chriſtus teſtis exiſtens Patris non alij, de alioue, ſed tantum mittenti, & de mittente ſe Patre teſtimonium perhibuit ſemper, cæteri ſic faciant, oportet, quoniam à Patre exemplar omnibus imitandum propoſitus fuit, vt quemadmodum ille feciſſet, & docuiſſet, cæteri ſic facerent, & docerent, *Pſal. 76. nu. 14. Iſa. cap. 42. et c. 49. nu. 6. c. 43. nu. 10. c. 53. nu. 10. Act. Apoſt. d. c. 13. nu. 46. Io. c. 8. nu. 26. c. 13. nu. 14. 15. et 17. c. 14. nu. 31. c. 15. nu. 10. Apoc. c. p. nu. 5. c. 3. nu. 14. & ſua p. c. 2. nu. 6.*

Ad noſtram propterea eruditionem exemplo nobis manifeſtare vo-

Digitized by Google

volens teſtimonij perhibendi, & euangelizandi formã, ipſiuſquèmet Apoſtolatus miniſterij exhibendi rationem, indicationes, & ſigna: à ſe ipſo nihil vmquam fecit, vel dixit, quod à Patre mittente ſe non acceperit, & accepiſſe expreſsè non affirmauerit, & eo, quo ab ipſo audierit, & viderit, nobis non attulerit modo, illius præcepta, & mandata pleniſſimè ſeruans, vt ex ſuperius allegatis manifeſtiſſimè patet: cur teſtes Chriſti non ita faciant, oportet, ſi hanc, ex his quæ dicta ſunt, rectam patet eſſe euangelizandi formã, & teſtimonij ab omnibus perhibendi methodum veram, ipſiuſq; Apoſtolatus ſignum, & index verum? *Io.p. c.p. nu.2. Apoc. d.c.p. nu. 2. et 9. c.6. nu.9. c. 12. nu. 11. c.20. nu.4. Apoſt. p. ad Cor. d. c.2. nu.p. c.15. nu. 1. 2. & 3. c. 10. num. 31. ad Coloſ. cap.3. num. 17. & alijs ſuperius allegatis.* Qui ergo ſe teſtem, & Apoſtolum dicit eſſe Ieſu Chriſti, in verbo euangelij ſui ei teſtimonium perhibeat, oportet, quoniam hoc eſt, in quo talem ſe quis præbere, eiq; placere debet, & auditoribus ſuis tradere, & loqui neceſſe habet, *Apoſt.p. ad Cor. c.9. nu.16. c.15. nu.p. P. ad Theſs. cap.2. nu. 2.3.4. 8. et ſeqq. et maximè nu.13. 2. ad eoſdem Cor. c. 11. nu. 4. ad Gal. c.p. nu.7. 8. 9. 11. et 12. Mar. c. 16. nu. 15. cum alijs præcitatis.* Si prædicta ergo ſic, vt ſupra, ad eos, à quibus proueniunt, relata affirmatiuè eſſe vera manifeſtum apparet, quod videlicet, Dei qui teſtimonia loquitur, Dei teſtis eſt, ab eoq; miſſus: & quod Dei teſtis, ab eoq; miſſus eſt ille, qui eius teſtimonia, hoc eſt verba loquitur, *Io. d.c.3. nu.11. 34. c. p. nu.7. c.8. nu.45. c.18. nu.37. c.21. nu.24. Pſal. 118. nu. 43. et 46. 138. 152. 167. et 168.*

Sic contraria negatiuè etiam ſint vera poſtulat ratio, videlicet, quod ex diuino non eſt teſtimoniorum genere, ex alieno ſit conſequens eſt, qui propterea, non quæ Dei, ſed aliena loquitur, non Dei, ſed eius, cuius illa ſunt teſtimonia, teſtis etiam, ab eoq; miſſus ſit, conſequens eſſe dicendum videtur. A ſe ipſo igitur, alienauè qui loquitur verba, alienouè nomine, non Chriſto, ſed ei, cuius ſunt teſtimonia illa, quæ affert, teſtimonium præbere dicitur, illiq; placere quærere, *Io. c.7. nu.18. c.5. nu.44.* Qui verò ſibi, alijſue placere curat, ſi nec ſeruus Ieſu Chriſti eſt, *Apoſt. ad Gal. c.p. num.12.* eius multò minus teſtis, & Apoſtolus eſſe dicetur, neq; pro eo, ſed potius aduerſus eum teſtimonium perhibuiſſe dicitur, quia ipſe dicit id, quod Chriſtuſmet ipſe non dixit, *Apoſt. p. ad Cor. c.15. nu.15. Ier. c.29. nu.23. et 33. Apoc. cap. 2. nu.2.* vt ſuo latius dicetur loco. Si ergo Dei legatus, teſtis, & Apoſtolus eſt ille, verba Dei qui loquitur, *Io. d. c.3. nu.34. Act. Apoſt.*

cap.6.

Digitized by Google

cap.6. nu.4. Apoſt.ad Heb. c.13.nu.7. Apoſtolatuſq; miniſterium, quòd à Domino accipitur, acceptum ad amuſſim impleatur neceſſe eſt, nil aliud eſt, quam ipſa diuini annunciatio verbi, *Apoſt.p. ad Cor. d. c. 9. nu.10. ad Eph. c.4.nu.17. Act. Apoſt.c.20. nu. 24.* cui tanquam catenæ vinculo Apoſtoli perpetuò obſtricti adhæreant, oportet, propter hoc alijs in catena id exhibere dicuntur. *Apoſt.2.ad Cor. c.5. n.20. Iſa. c.8. nu.16.* & id perpetuò verſatur, ac verſari debet circa illius traditionem, *Mat.c.10. nu.27. c.28. nu.20. Mar. c. 16. nu. 15. Luc. c.12. nu.3. Apoſt. p. ad Cor. d. c.15. nu.p. & 2.* ad hoc vt eidem diuino credamus verbo: *Io.c.5. nu.47. c.10. n.25. c.20. nu.31. Mar. c.1. nu.15. Luc. c.p. nu. 11. 18. & 20. Pſal. 131. num. 12.* vt illius virtute, & efficacia luminis omnes in vnitatem occurramus fidei, & agnitionis filij Dei in virum perfectum in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti, vt per eam iam non ſimus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ in nequitia hominum, in aſtutia ad circumuentionem erroris. *Apoſt. ad Eph. c.4. nu.13. & 14. ad Coloſ.c.2. num. 8. P. ad Tim. c.6. nu.3. & 4. 2. ad eumdem c.2. nu. 16. Eccl. c.5. nu.11. 12.* quia verbum Domini lucerna, & lumen eſt pedibus noſtris, quo nobis eluceſcente incautè offendamus, impoſſibile eſt, ſed fiducialiter curremus in via, & pedes noſtri non impingent, quia æterna ſunt, & infallibilis veritas, *d. Pſal. 18. nu.9. Pſal. 118. nu.105. & 160. Prou. c.3. nu. 23. & ſeq. c.4. nu.12.20.21.& 22. Io c.17. nu.17.* & diuinũ hoc verbum ab hominum nullo, ſed ab ipſo proceſſit Deo, *Apoſt. p. ad Cor. c.14. nu.36. ad Gal.d. c.p.nu.11. & 12.* A quo illud Apoſtoli ſuſcipientes ad eos, ad quos miſſi ſunt deferant oportet, hoc Domino hiſce, *Ezech. c.3. nu. 10. 17. & 27.* expreſsè declarante verbis: *Fili hominis omnes ſermones meos, quos ego loquor ad te, aſſume in corde tuo, & auribus tuis audi: de ore autem meo audiens verbum annunciabis ex me, nam cum locutus fuero tibi, aperiam os tuum, & tu dices ad eos &c. qui audit, audiat,* ideſt vt mea tuæ, qui medio vocis audit verba, credat ea: non enim ex eo prophetis, & prædicatoribus credimus, quia ex corde ſuo nobis locuti ſint, ſed quia ea, quæ nobis locuti ſunt, à Deo audierunt verba, quemadmodum *Iſa. c. 53. nu.1.* peregrino quidem, ſed veraci, ac ingenioſo, arcanoq; dicendi modo nobis manifeſtauit dicens: *Quis credit auditui noſtro?* vt per hoc intelligeremus, quod verbis per prophætas, & nuncios Dei nobis prolatis fidem adhibere debemus, non ex eo, quod ipſi à ſe ipſis ea ſint locuti, ſed quia illa à Deo originaliter fuerunt audita, propter hoc nõ dixit: quis credit ſermoni noſtro, ſed *quis credit auditui noſtro,*

quia

Digitized by Google

quia auditus eſt propriè illius, alienum qui ſuſcipit, non proprium qui effundit ſermonem, *Num.c.24. nu.16. Pet. 2. c.p. num. 21.* idcircò *Apoſtolus ad Rom.c.10. nu.17.* ex huiuſmodi dicendi inferens genere ait: *Auditus ergo fidei fit per verbum Dei*, cuius ſunt, ac eſſe debent originaliter verba auditus fidei, non autem illius propria, qui nobis loquitur, vel alterius puri hominis, *Deut. d.c.18. nu.19. 3.Reg.c.13. nu.5. & nu.17. & ſeq; vſq; ad 23. c.17. nu.17. Apoſt.ad Heb.c.3. nu.7. & c.4. nu. 2. Pſal. 17. nu. 45.* ex quibus magis, ac magis ſemper clareſcit, quod adminiſtratio huiuſmodi eſt quædam enunciatio diuini verbi, mediante voce miniſtri purum ei præbentis vocis miniſterium ad hoc, vt in aures eorum, ad quos miſſus eſt, transfundatur, & in eis auditum generet Dei, *Ier. c.11. nu. 6. & Apoſt. ad Rom. d. c.10. nu. 17. & alijs ſuperius alligatis.* Miſſus propterea, dum verba mittentis ſe loquitur, & profert, ipſemet mittens per os miſſi loqui dicitur, & loquitur verè, *Apoſt.2.ad Cor. d.c.5. nu. 20.* hoc his ſic atteſtante verbis: *Ego enim prædicans Euangelium Chriſti pro eo legatione ſungor Deo tanquam per nos* (ideſt per noſtræ miniſterium vocis) *exhortante, & Reg. Proph. 2.Reg. c.23. nu.2.* ait: *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo eius per linguam meam.* Apoſtolatus ergo miniſterium ipſa fidelis eſt, & ſincera verborum Dei promulgatio in Eccleſiæ Dei ædificationem diffamata, quam erubeſcere nemo debet, *Act. Apoſt. c.13. nu.49. c.20. nu. 24. 27. & 32. Apoſt. p. ad Theſſ. c.p. nu.8. & 2. ad eoſdem c.2. nu. 14. c.3. nu.p. & 14.* cuius ſcopus cum ſit, vt idem ſapiamus, & in eadem regula permaneamus, *Apoſt. ad Philip. c.3. num. 16.* ab ijs propterea, qui à Chriſto miſſi ſunt eam ædificare, diuinum eius vniformiter vbiq; eſt tradendũ verbum, vt vniformiter ab omnibus acceptum vniformiter noſcatur, & ſeruetur, vt ex eius vniformi notione, & obſeruantia idem ſapere, & in eadem regula permanere valeamus, idcircò vnuſquiſq; attentè, & diligenter animaduertere debet quod, quale, & qualiter à Domino fuerit eius auditum, & acceptum verbum, vt & idem, & tale, & taliter omnibus tradatur, vt idem ſapiamus, & in eadem regula permaneamus, & eodem modo Eccleſia ædificetur, *Mar. d. c. 4. nu. 24. c.8. nu.38. Luc.c.8. nu.18. cap.6. nu.40. Mat. c.10. num.24. Io.c.13. nu.15. 16. & 17. c 15. nu.20. & ſua p. d. c.2. nu.6. & 27. Apoſt.p.ad Cor. c.3. nu.10. & ad Philip. d.c.3. nu.16.* quia, etſi quæ Dei ſunt, rectè, & diſcretè omnia tractanda ſint, hoc vnum quam rectiſſimè, & diſcretiſſimè tractandum eſt diuinum verbum, *Apoſt. 2. ad Tim. c. 2. num.15.* quoniam ex eo tam annunciantis, quam audientis vita, vel mors

egre-

egreditur. *Ezech. c.3. nu.17. 18. & 20. c. 33. num. 8. & 9. Apoſt. p. ad Cor. c.3. nu.14. & 15. c.9. nu.16. Act. Apoſt. d.c.20. nu. 26. & 27.*

A ſe ipſo conſequenter qui quidquam dicit, quod à mittente ſe non acceperit, tanquam à ſincera, & inuiolabili recedens miſſionis lege, ipſam profanaſſe dicitur mittentis ſe legationem, eius deprauaſſe teſtimonia, negotij exitum perturbaſſe, eius,qui ſe miſit,aduerſatus fuiſſe voluntati, illius læſiſſe maieſtatem, reumq; ſe conſtituiſſe æternæ damnationis, nam ſi is à Deo ſe miſſum eſſe comprobat, qui verba Dei loquitur, *Io. c.3.nu.34.* per contrarium etiam, qui,non quæ Dei, ſed ſua, vel aliena ſunt, loquitur, ab eo non ſe miſſum eſſe ſuo proprio comprobat teſtimonio, cum teſtimonium cuiuſq; ſit id, quod alloquitur verbum, *Io.c.10. nu. 4. 5. & 27. c. 8. nu.43. & 47. & ſuap. c.5. nu. 10.* etſi pro Dei teſtimonio ſuamet, vel aliena profert, & annunciat teſtimonia, cur mittentis ſe non dicetur deprauaſſe teſtimonia, exitum rei perturbaſſe, illiuſq; profanaſſe miſſionem? *Ier. c.29. nu.23. c.23. nu.22. Apoſt. p. ad Cor. c.14. nu.15. Ezech. c.3. nu. 18. Apoc. c.2. nu.3.* etſi, quæ à mittente ſe in commiſſis annuncianda recepit, non annunciat, cur non voluntati mittentis ſe aduerſatus fuiſſe, eius læſiſſe maieſtatem, reuſq; æternæ non ſe conſtituiſſe mortis dicetur? *Ier. c.28. nu. 14. & 15. Ezech. d.c.3. nu. 18. & 20. cum aliis ſuperius allegatis.* etſi verba Dei infinitæ ſunt virtutis, & efficaciæ, vt ex præmiſſis patet, noſtraq; non: & cogitationes Dei, earumq; exitus à noſtris diſtant, quantum cælum à terra, & vltra, *Iſa. c. 55. nu.8. & 9.* cur verborum noſtrorum, cogitationumq; noſtrarum ab exitu verborum, & cogitationum Dei diſtantes non erunt exitus? etſi Eccleſiaſticæ conſtruendæ ædificationis ſcopus eſt idem ſapere,& in eadem regula permanere, vt ſuperius dictum fuit,ex antecedenti neceſſario non diuerſa, ſed eadem, non diuerſo,ſed eodem ſemper doceatur, & obſeruetur modo, neceſſe erit, alias ad diuerſa, diuerſoſq; docendi tranſeuntes modos, ad variaſq;ac nouas doctrinas ab illis,quas à principio receperimus, cur ne in hoc erumpant ſciſſuræ ædificio,& ſchiſmata oriantur timendum nō erit? *Iſa. c.30. nu.12. & 13.20. & 21. Io. p. c. 2. nu.24. et 27. Apoſt. p. ad Tim. c.p. nu.3. c.6. nu. 3. et 4. et 2. ad eumdem c.p. nu.13. cum aliis ſuperius allegatis*, propterea *Idem p. ad Cor. c. p. nu.10. et ad Rom. c.15. nu.5. et 6.* dixit: *obſecro vos fratres per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata, & ipſe det vobis idipſum ſapere*, ſecundum ea, quæ dixit *ad Philip. d.c.3. nu.15.* Nam ſi Chriſtus D. N. Patri æqualis exiſtens ſecundum diui-

Digitized by Google

diuinitatem,ei tamen perpetuò gloriam reddens,non ſolum à ſe ipſo nihil vnquam feciſſe, vel dixiſſe affirmauit, ſed quidquid fecerit, vel dixerit Patrem fuiſſe in ſe facientem, & loquentem omnia proteſtatus eſt,cur ab eo miſſis ei debitam ſibi ipſis licebit aſſumere gloriam, eam vel alijs tradere, dũ ea, quæ affirmant, vel negant non ex Chriſti, à quo ſe miſſos eſſe profitentur, ſed ex propria, vel alterius, aliorumue affirmant eſſe doctrina? *Act. Apoſt. c. 18. nu. 25. Apoſt. 1. ad Cor. c. 1. nu. 13. c. 4. nu. 2. Ad Gal. d. c. p. nu. 8. 9. 11. & 12. Io. c. 5. nu. 44. c. 14. nu. 10. 24. & 31. & ſua 2. ad Electam nu. 9.* Etſi æterna ſecundum perſonalitatem ei competit ſapientia, ſuam tamen, non ſuam,ſed Patris mittentis ſe affirmauit eſſe doctrinam, Patris ſui datum gratè ſemper commemorans, cur ab eo miſſis, quas docent, non Chtiſti, ſed proprias, vel alienas aſſerere licebit eſſe doctrinas? *Io. c. 7. n. 26. Eccl. c. 4. nu. 11. c. 24. nu. 5. 37. 44. & 46. Apoſt. p. ad Cor. c. 2. nu. 3. et 4. Ad Eph. c. 4. nu. 20. et 21.* Etſi Euangelium eſt gloriæ Chriſti verbum, cur verbum gloriæ derelinquentes Chriſti, propriæ, vel alienæ aſſument gloriæ verbum, ſi non propriam, vel alienam, ſed Chriſti tantum mittentis ſe debent quærere gloriam? *Apoſt. 2. ad Cor. c. 4. nu. 4. c. 10. nu. 17. & p. ad eoſdem c. 1. nu. 29. Ier. c. 9. nu. 23. Io. c. 7. nu. 18. c. 8. nu. 49. & 50.* Etſi mittentis ſe qui gloriam quærit, & verax eſt, & iniuſtitia non eſt in illo, *Io. c. 7. nu. 18.* per contrarium autem propriam, vel alienorum qui quæret, cur mendax, & iniuſtus non erit, ſi ſinè mendacio, & iniuſtitia nequidquam eius poteſt addi, vel detrahi verbo, quoniam inuariabile eſt, & æternum? *Prou. c. 30. nu. 6. Num. c. 22. nu. 18. & 38. Eccl. c. 3. nu. 14. Sap. c. p. nu. 11. Eccl. c. 18. nu. 5. c. 42. nu. 21. Apoſt. p. ad Cor. d. c. 9. nu. 16. Ad Gal. c. p. nu. 8. 9. 11. & 12.* Ab aliquo nec confundi, vel erubeſci, alias illud confundentem,vel erubeſcentem confundet, & erubeſcet Chriſtus Dominus cum venerit in gloria ſua? *Mar. c. 8. nu. 38. Luc. c. 9. nu. 26. Apoſt. 2. ad Tim. c. p. nu. 8. ad Rom. c. p. nu. 16.* quoniam illud verum eſt ſemen, quod miſſi ſeminare debent, vt Eccleſiam ædificent, & ſuum adimpleant munus. *Luc. c. 8. nu. 18. Mar. c. 4. nu. 14. Apoſt. 1. ad Cor. d. c. 9. nu. 16. Io. c. 17. nu. 8. Ezech. c. 3. nu. 10. 17. & 27. Iſa. c. 8. nu. 16. Eccl. c. 36. nu 17. Act. Apoſt. c. 20. nu. 24.* Etſi miſſi non ſuam propriam, ſed mittentis ſe debent facere voluntatem,alias eorum eſt iniuſtum iudicium, *Io. c. 5. nu. 30.* & humanæ noſtræ omnis actionis, & operis principium ipſa eſt voluntas noſtra, in hoc conſequenter adimplendo miſſionis miniſterio quidquid non ex mittentis ſe, ſed ex eorum propria fecerint, vel dixerint voluntate iniuſtum

F dicen-

Digitized by Google

dicentur egiſſe iudicium, quia non Chriſti mittentis ſe, ſed eorum propriam fecerint voluntatem, *Iſa. c.58. nu.9. & 13. Ezech. c.33. nu.7. & 8. c.13. nu.3. & 6. Apoſt. p. ad Cor. c.11. nu. p. ad Theſſ. c.2. nu.14.*

De Eccleſiaſtici corporis ædificatione, & ædificationis fundamento, quatenus tamen ad propoſitam pertinent materiam. Cap. II.

ECcleſia eſt vnum corpus vno conſtans ſpiritu, cuius vna eſt fides, vnum baptiſma, vna ſpes, vnum charitatis vinculum, vnus Dominus, vnus Deus Pater omnium, qui eſt ſuper omnes, per omnia, & in omnibus, à quo vnicuiq; gratia eſt data ſecundum menſuram donationis Chriſti, & Apoſtolatum eius in ædificationem, non autem in deſtructionem corporis eius, cuius ipſe caput eſt, & ſaluator, vnũq; & immutabile Euangelium eius, *Apoſt. ad Eph. c.4. nu.4.5.6.8. c.2. nu. 7.8. c.5. nu.23. & 24. Ad Rom. c.p. nu.5. c.14. nu. 19. P. ad Cor. c. 14. nu. 26. & 36. 2. ad eoſdem c.12. nu.19. c.13. nu.8. & 10. c.11. nu.4. Ad Gal. c. 1. nu.5.6.7.8.9. 11. & 12. Ad Coloſ. c.p. nu.18. c.2. nu. 19. c. 3. num. 14.* Huius autem ædificatio corporis, de quo præſens eſt ſermo, ipſi nos ſumus, qui omnes in verbo eius in ſpiritu coædificamur in vnũ templum ſanctum Domino Eccleſia appellatum, *Apoſt. P. ad Cor. c. 3. nu.9. & 10. ad Eph. c.2. nu.19. 20.21. & 22. ad Heb. c.3. num. 6.* In quo viuenti templo Deus habitare dignatur, *Apoſt. P. ad Cor. c.3. nu.16. & 17. c.6. nu.19. & 20. ad eoſdem c.6. nu.16. Act. Apoſt. c. 7. nu. 48. c.17. nu.24. et 25.* Cum autem nulla permanens ſine fundamento conſtruatur ædificatio, *Luc. c.6. nu.48.* Quod, & quale noſtræ huius ſit ædificationis fundamentum aperiamus oportet, & indubitatum eſt, quod lapis eſt ille angularis nobis à Deo patre promiſſus, ſuper quo tota hæc conſtrui debet ædificatio, qui Dominus eſt noſter Ieſus Chriſtus. *Pſal. 17. nu.22. Iſa c.28. nu.16. Mat. c.21. num. 22. Luc. c. 20. nu. 17. Act. Apoſt. c.4. nu. 11. Apoſt. ad Rom. c.9. nu. 33. Pet. p. c.2. nu. 7. & 8.* Petra enim erat Chriſtus, ſuper quam eius eſt ædificanda Eccleſia, & in qua & nos exaltari, & extolli noſtra debet ædificatio, *Apoſt. p. ad Cor. c. 10. nu.4. Mat. c.16. nu.18. Pſal 60. nu.3.* Iſtius, & alia ſunt quidem duodecim ſuperædificationis fundamenta, non ſeorſum tamen à dicto fundamentali lapide locata, ſed ſuper eo radicata, ſtabilita, & firmata, & eius auctoritate, & nomine iacta, eius qui ſunt Sancti Apoſtoli, *Apoc. c.21. nu.14. Mar. c.10. nu. 14.* qui & ipſi velut Architecti prudentes ſua huius iacientes ædificationis fundamenta non aliud,

quam

Digitized by Google

quam quod ab ipſo poſitū fuerat Deo, prout ponere nec poterant, poſuerint fundamentum, ei ſed firmiter initentes ſua ſuper illud ſtatuerunt, & ſolidarunt fundamenta, *Apoſt.p. ad Cor. d.c.3. nu.10.& 11. ad Gal.c.p. n.6.& 7. Io.2. ad Electam nu.9.* Sic & poſt eos quilibet alius in hoc cupiens ædificare ædificio non ſeorſum à dictis primo, & alijs duodecim fundamentis, ſed ſuper illa ſuperædificare debet, vt altero ſuper alterum ſuperædificato, ipſa ſumens ædificatio incremēta creſcat in templum ſanctum Domino, *in quo omnes coædificamur in habitaculum Dei in ſpiritu. Apoſt. ad Eph. c.2. nu. 21. & 22.* Tota igitur ædificationis iſtius conſtructio ſuper primarium hunc incumbēs lapidem, vniuerſæ tanquam ſtructuræ illius baſim, & fundamentum, ſucceſſiua additamenta vnum poſt aliud ſuper impoſitum, ordinatèq; & cōcinè diſpoſitum ſumere debet, vt tota per nexus, & iuncturas ſubordinatè cohærentes, & colligatas creſcat in augmentū Dei, ipſa quod eſt vnitatis euectio, & euectionis vnitas, *Apoſt. ad Coloſ. c. 2. num. 19. Pſal.67. nu.7. Eſd. 4. c.6. nu.36. Io.c.17. nu.8.21.& 22.* Vnuſquiſq; ideò huiuſmodi ædificantium attentè, & accuratè animaduertere, & cōſiderare debet quomodo, & qualiter ſuper iſtud ſuperædificet ædificiū, ne illius ſtructuræ formam, & inſtituti rationem prætergrediens non rectum ſuper illud coſtruat opus, *Apoſt.p. ad Cor. c.3.n.10.& 11. ibidem* proptereà *nu. 12. et 13.* eundem proſequens ſermonem ait: *Si quis ergo ſuper hoc ædificauerit fundamentum aurum, argentum, lapides pretioſos, ligna, ferrum, ſtipulam vniuſcuiuſq; opus manifeſtum erit: dies enim Domini declarabit, quia in igne reuelabitur, & vniuſcuiuſq; opus, quale ſit, ignis probabit: ſi cuius opus aſſerit &c.* Si ergo ædificij qualitas, ſecundum hunc textum, conſtructum iuſtificat opus; moduſq; & ratio illud ædificandi ipſummet conſtruentis determinat meritum, & demeritum in illo conſtruendo, vtrumq; quale ſit noſcamus oportet: quibus quædam ad clariorem intelligentiam præmittenda eſſe duximus: & primo, quod ſicut omnes, vt ſuperius dictum fuit in vniuerſum huius vnum ſumus ædificij corpus Eccleſia appellatum, ſic noſtrum quilibet in hoc ædificij corpore poſitus illius ſingulare eſt corporis membrum, ſeu ædificationis opus, *Apoſt.p. ad Cor. d.c.3. nu.9.* Secundo, quod huiuſmodi ædificatio operis ſingularium eſt perſonarum in hac vniuerſalis corporis ædificatione coaptatio, illius tanquam portio, & membrum conſtructionis. Tertio, quod ſingulare hoc opus in hac ſe ipſum non ædificat, ſed ab alio ædificatur ædificij conſtructione, *Apoſt. ad Heb. c.3. nu.6.* Quarto, quod opus quodcumq; in hac fuerit

ædificatione poſitum, ſeù ædificatum, vt rectè in ea conſtructum ſit, & eſſe dicatur ſuper Chriſtum iſtius ædificationis primarium, & fundamentalem lapidem ad perpendiculum inſideat oportet, *Io. c.5. nu. 40. & c.15. nu.4.5.6.7. Mat. c.12. nu.30. Luc.c.11. nu. 23.* quod an ita ſit duplici poteſt inueniri via, vel per reſolutionem partium dictam componentium ædificationem de vna in aliam, quouſq; ad eius nouiſſimum deueniamus fundamentum, quo ſic inuento, & vtriuſque animaduerſa poſitione cognoſcetur etiam, an quæſita ædificij pars, ſeu opus ſuper, an extra fundamentalem hunc cadat lapidem, & conſequenter an rectè, vel non rectè conſtructa, probanda, vel damnanda ſit: vel per extenſionem perpendiculi gnomone ſuper quæſita parte ædificij firmato, centroq; grauitatis per filum à gnomone, vſq; ad calcem ædificij demiſſo, nam ſi præfatum grauitatis centrum ſic, vt ſupra, demiſſum ſuper hunc incurrens ſiſtet lapidem, ſuper eum etiam quæſita pars ad perpẽdiculum inſideat manifeſtũ erit: ſin, extra illum radicem habeat oportet, & conſequenter tanquam non rectè conſtructa damnanda ſit conſequens eſt.

De reſolutiua hac methodo. *Cap. III.*

SI igitur quemadmodum iam dictum eſt, ſingulare vt hoc opus in huius Eccleſiaſtici corporis ædificatione rectè conſtructum ſit, ſuper Chriſtum angularem lapidem applicet, & adhæreat oportet, & applicatio huiuſmodi fit per fidem, *Io.c.5.nu.40.c.6.n.29. Eccl.c.4. nu. 17. Apoſt. ad Eph. c.3. nu.12. & 17.c.4.nu.12.& 13.* hinc eſt, quod tam applicatio hæc, quam applicans, & applicatus ininuicem reſpectiuè dicantur ædificatio, ædificator, & opus fidei, *Apoſt. ad Eph. d. c. 4. nu. 29. p. ad Cor. c.4. num. 15. ad Gal. c.4. num. 19. Iud. ſua vnica num.* 20. per hanc reſolutiuam methodum conſequenter, quam breuiſſimè ſic ratiocinabimur: Si *noſtra ex auditu oritur fides, Pſal. 17. num. 45. auditus autem omnis ex verbo, Sap. c.6. nu.27. Iſa. c.5. nu. 2.* noſtræ verò auditus fidei non ex alienorum, ſed D. N. I. Chriſti verbo, & doctrina. *Prou. c.1. nu.23. & 24. c.8. nu.p. & ſeq. vſq; ad 7. c.9. nu. 5. Sap. cap. 7. nu. 28. c.9. nu. 19. Eccl.c.1. nu.5. c.24. nu.5. 37. 38. & 46. Iſa.c.65. nu.12. Ier.c. 7. nu.17. Deut.d.c.18. nu.18. et 19. Io.c.4. nu.25. et 27. c.5. nu.38. 39. & 43. c.6. nu.64. et 69. c.8. num. 25. 31. 45. 47. c.17. num.8. et 14. c.18. nu. 37. c.20. nu.31. c.10. nu.5. & eiuſdem 2. ad Electam nu.9. et 10.* per conſequens etiam ſi verbum, & doctrina, ex quibus iſte fit auditus fidei, à Chri-

Chriſto proceſſerint,ab eoq; accepta fuerint,opus ædificationis fidei ab illis exortum ſuper Chriſtum angularem hunc lapidem inſidere dicendum erit, alias nequaquam, propterea, *Apoſt. ad Rom. c.* 10. *nu.* 17. poſt præcedentem firmatam concluſionem: quod *ex auditu fides oriatur* terminare volens qui, & qualis ſit, & eſſe debeat huiuſmodi auditus, ex quo illa oriatur, ait: *ergo auditus fidei ſit per verbũ Ieſu Chriſti*: Euangelium propterea, eius quod eſt verbum, verbum dicitur fidei, auditus eius, auditus & ipſe dicitur fidei, *Apoſt. p. ad Tim. c.* 4. *nu.* 6. *& ad Gal. c.* 3. *nu.* 2. *et* 5. vice ſic verſa fides dicitur euangelij, & auditus verbi illius *Ad Philip. c. p. nu.* 27. correlatiuorum enim eſt mutuã inter ſe ſe habere relationẽ: Moyſem propterea alloquens Deus de methodo, & ratione introducendæ fidei, *Deut. d. c.* 18. *nu.* 17. 18. *&* 19. ait: *Omnia benè locuti ſunt*: (quia licet me amplius audituri non ſint) *Prophatam tamen ſuſcitabo eis de medio fratrum ſuorum ſimilem tui, & ponam verba mea in ore eius, & loquetur ad eos omnia, quæ præcepero illi, qui autem verba eius, quæ loquetur in nomine meo audire noluerit, ego vltor exiſtam*, qui ergo verba Chriſti à Patre miſſi accipere noluerit, adhuc ſub ira Dei manet, *Io. d. c.* 3. *nu.* 36. *c. p. nu.* 41. *c.* 4. *nu.* 25. *Act. Apoſt. c.* 3. *nu.* 22. *et* 23. Hoc enim inter gentes, quæ non ex Deo, ſed de mundo, & terra ſunt, & Chriſti gregem, qui non de mundo, ſed ex Deo eſt ſummatim intereſt, quia gentes, velut de terra, eorum quoq; qui de terra ſunt, verba, & doctrinas libenter audiunt, & accipiunt, *Deut. d. c.* 18. *nu.* 14. *Io. c.* 3. *nu.* 31. *c.* 8. *nu.* 47. *& ſua P. c.* 4. *nu.* 5. grex vero Chriſti, qui non de terra, ſed ex Deo eſt, non eorum, qui de terra ſunt, ſed Dei dumtaxat verba, & doctrinas audit, & accipit, *Deut. d. c.* 18. *nu.* 15. *et* 16. *Mat. c.* 15. *nu.* 9. *Io. d. c.* 8. *nu.* 47. *c.* 15. *nu.* 20. *& ſua p. c.* 4. *nu.* 6. omnibus idcirco vt inoteſceret, à Deo qui eſſent miſſi in hoc ædificare ædificio: & in eo qui ſuper firmum eſſent fundati lapidem angularem: de illis, *Io. d. c.* 3. *nu.* 31. *& d. ſua p. c.* 4. *nu.* 5. ſic ait: *De terra qui loquuntur, de terra ſunt*: De iſtis autem, *Io. d. c.* 8. *nu.* 47. *c.* 10. *nu.* 3. 4. 5. *et* 27. *c.* 15. *nu.* 20. *& d. P. c.* 4. *nu.* 6. ſic loquitur: *Sicut ex Deo ſunt, verba Dei qui audiunt*, ſic hi, ea qui non audiunt, ex Deo non ſint, conſequens eſſe videtur. Cum verò verba Dei originaliter non ab hominum vllo, ſed à Deo dumtaxat proceſſerint, & procedant, *Apoſt. p. ad Cor. c.* 14. *nu.* 36. *Deut. c.* 8. *nu.* 3. *Mat. c.* 4. *nu.* 4. *Luc. c.* 4. *nu.* 4. Hinc etiam ſequi videtur, quod opus quodcumq; in hac prætendatur ædificatione fuiſſe conſtructum per verba, quæ à Patris non proceſſerint ore, vel à doctrina filij, ſuper fundamentalem hunc Chriſti non dicatur

tur

tur inſidere lapidem, ſed extra illum eſſe fundatum, conſequens etiam eſſe videtur, verum quia de hoc infra vberius fiet ſermo, eius etiam ibi terminabitur examen, non prætermittentes dicere, quod orthodoxæ omnes Catholicæ Eccleſię determinationes ab ore dicũtur proceſſiſſe Dei, quia Spiritu Sancto dictante traditę fuerunt, quoniam *hi tres vnus ſunt Deus, Io. c.14. nu.16.17.et 26. c.16.nu.13.14.et 15. & ſua p. c.5.nu.7.*

De perpendiculo huius examinandæ ædificationis, & illius examine. Cap. IV.

PErpendiculum autem huius examinandæ ædificationis ipſum eſt Dei æternum fœdus, cuius præordinata promiſſionum ſeries in eo contentorum eſt, velut funiculus dicti perpendiculi, à cuius ſancto, & veraci ore, tamquam ex foramine gnomonis firmiter in æternum permanentis, exiens in eius geſtat capite infallibilem, & æternam, velut centrum grauitatis, promiſſorum veritatem, quæ ab eius ore ſic, vt ſupra, effluens ſuper Chriſtum, tamquam vniuerſæ huius angularem ædificationis lapidem, ſeu radicale fundamentum cadit, & cadat oportet, quoniam ei huiuſmodi fuerunt factæ promiſſiones, vt Pater in Filio, & Filius in Patre glorificaretur, *Pſal. 88. nu. 3. 4.5. 19. 20.25. 27. 28. 29. 34. 35. 36. 37. et 38. Apoſt. ad Gal. c. 3. nu. 16. Io. c.5. nu.18. et 23. c.8. nu.49. et 54.* ex rectæ autem huius ædificationis indagatione, cum & diuinæ quoq; inoteſcant principia filiationis, cuius cum ſint tres ſpecies natura videlicet, creatione, & electione: de duobus prioribus noſter non erit ſermo, quia natura ſolus D. N. Ieſus Chriſtus ſecundum diuinitatem eſt, eſſeq; poteſt Dei filius, quia natura filius eſt de ſubſtantia Patris verè genitus: creatione verò cum omnes creaturæ, tam bonæ, quam malæ (non tamen tamquã à culpa malæ, quia à Deo creata omnia in ſemetipſis erant valdè bona, *Gen. c.p. nu.31.*) Dei ſint filiæ, hanc cum omnibus communem habentes filiationem, cuius omnibus nota ſunt principia, de ſola ideo filiatione per electionem noſter erit ſermo, quæ fit per promiſſionem Dei, Dei autem de ea promiſſiones cum vno tantum ſint factæ Chriſto eius filio Verbo incarnato, & eius propter eum ſemini, eius qui ſunt electi, *Pſal.88. nu.4. 30. et 37.* hinc eſt, quod hi filij dicantur eſſe promiſſionis, *Apoſt. ad Gal. c.4. nu.28.* promiſſionis autem huius verbum ipſum cum ſit fidei verbum, in fide propterea qui ſunt, in ſemine

Digitized by Google

ne reputantur, & conſequenter filij ſunt, & hæredes Dei, fratres autem, & cohæredes Ieſu Chriſti propter eum, cuius dicimur eſſe omnes, ipſe autem Dei ſolius, cuius hac triplici eſt filiatione filius, natura, videlicet, ſecundum diuinitatem, creatione ſecundum humanitatem, electione ſecundum promiſſionem ab ipſo ab æterno in gloriam ſuam prædeſtinatus, *Apoſt. ad Rom. c. p. nu. 3. & 4. c. 8. num. 16. et 17. c. 9. nu. 7. 8. c. 10. nu. 8. & p. ad Cor. c. 2. nu. 7. c. 3. nu. 23. ad Gal. c. 3. nu. 14. 16. 18. 22. 26. et 29. c. 4. nu. 23. 26. 23. 30. et 31. ad Eph. c. p. nu. 5. 6. 11. 12. 22. et 23. ad Coloſ. c. p. nu. 15. et 18. Pſal. 88. nu. 4. 5. 20. 21. 25. 28. 29. 30. 34. 35. 36. 37. 38. et 50. Pſal. 131. nu. 11. 13. 14. et 18. Gen. c. 21. nu. 10. et 12. Reg. 2. c. 7. nu. 12. 13. & 14.* funiculus autem iſte ex paterno ſic, vt ſupra, procedens ore, ac ſuper Chriſtum ab eius regalibus ſedibus ad hunc imum deſcenſum terræ, & hac noſtra veſtitum carne; huius tanquam primarium, ac fundamentalem ædificationis lapidem, filiationis exordium, ac creaturæ Dei principium cadens rectam diuinæ de hac conſtruenda ædificatione, filiatione exſuſcitanda, initiandaq; creatura lineam demonſtrat veritatis, & voluntatis, ſecus ergo extenſionis illius directionem in hoc quicunq; fuerint poſiti ædificio ſuper Chriſtum, etiam angularem hunc lapidem fundati, Dei initiati creaturæ, filijq; adoptionis effecti ſint, conſequens eſt, vt ex infradicendis latius apparebit.

Cum igitur hoc Dei fœdus eius diuinæ ſit expreſſio voluntatis, & veritatis, in ea quid contineatur expreſſione, & quo medio, & via, quibuſq; & quorum gratia fiat declarandum venit.

In illa igitur ipſa continetur promiſſio de Eccleſiæ conſtruenda ædificatione, quæ ſancta eſt illa Ieruſalem, quæ ædificatur, vt ciuitas, Chriſtiq; corpus, ac generationis eius ſemen, quo Dei efficimur participes, & *cuius participatio eſt participatio eius in idipſum, Pſal. 121. nu. 3. Pet. p. c. p. nu. 4. 5. et 2. c. p. nu. 3. et 4. Gen. d. c. 21. nu. 10. 12. Apoſt. ad Rom. d. c. 9. nu. 8. ad Gal. c. 4. n. 30. 31.* fit autem promiſſio huiuſmodi mediante verbo ſignificatiuo eorum conceptuum, & placitorum, in diuina quæ erant mente, & voluntate promittentis Dei. His verò fit, in hoc qui futuri ſunt ædificatione opus, in muris ciuitatis huius lapides ſculpti, in corpore membra, in generatione hac ſemen Chriſti, *Iſa. c 44. nu. 3.* Quicumq; autem alicuius ſe promiſſorem conſtituit, exaduerſo huius acceptatorem habeat oportet, quia, ſicut & ipſa inuicem promiſſio, & acceptio, mutuam ſic hi inter ſe relationem habent, ideo vbi promiſſor, ibi exaduerſo promiſſorum acceptator ad-

fit

Digitized by Google

ſit conſequens eſt, promiſſio enim cum fiat pollicita dandi cauſa, ea qui accipiat, adſit neceſſe eſt, & quod in promiſſione præſtandum venit, ab acceptatore exaduerſo recipiendum eſt. Verbum igitur medium cum ſit exprimendi, & communicandi conceptus mentis, placitaq; & deliberationes voluntatis, hoc quoq; qui audiat, & accipiat verbum, adſit, neceſſe eſt, vt expreſſionis contentorum in eo auditus, & communicatio fiat, ac fieri valeat, quia, vbi non adeſt audire qui poſſit, particepſq; fieri velit, & ſermo, & id, quod communicabile eſt fruſtra effunditur, *Eccl. c. 32. nu. 6.* Mutuæ igitur huius ratione relationis inter promiſſorem, & acceptantem intercedentis oportet, vt is, qui virtute promiſſionis huius in hac opus eſt futurus ædificatione, velit in ea ædificari, eius & opus eſſe.

Cum autem, vt iam dictum eſt, verbum ſit medium, & via exprimendi, & communicandi dictos mentis conceptus, placitaq; & deliberationes voluntatis, hi autem, & hæ nil aliud in ſubſtantia ſint, quã ipſa, quam diximus, in verbo exiſtens promiſſio, ipſius cum illa ſit ſignificatum verbi tranſeuntis per aures, & ad voluntatem audientis: verbum per conſequens, in quo ineſt promiſſio, qui audit, & accipit, accipit etiam, & vult ipſam promiſſionem in verbo ſubſtantialiter inexiſtentem, *Mat. c. 8. nu. 3. Mar. c. p. nu. 41.* Si ergo, vt ex prædictorum ſerie reſultare dignoſcitur, Dei qui accipit promiſſionem, eius diuino diuina ſemetipſum applicans virtute fœderi, ſecus illius quoq; in hoc Eccleſiæ ædificio dicatur hærere directam funiculi extẽſionem, ſecus quam reſpectiua poſitio, & adhæſio ipſa ſit Eccleſiaſtici prædicti ſuper Chriſti fundamentum ad perpendiculum inſiſtentis conſtructio, promiſſioq; huiuſmodi diuino ſine verbo fieri, & accipi non valeat, ipſo verò è conuerſo acceptato accipiatur & illa, in ipſo cum ipſa ſubſtantialiter inſit, ex horum ſic neceſſaria connexitatum copulatione, etiam neceſſario ſequitur, quod diuini traditi acceptio verbi, ipſa ſit recti ſuper Chriſtum ad perpendiculum Eccleſiæ operis ædificatio, *Apoſt ad Heb. c. 4. nu. 2. Luc. c. 5. nu. 18. Eſd. 4. c. 6. nu. 38. Mat. c. 8. nu. 3.* Reliquum prætereà cum Eccleſiæ ædificium, quæ corpus eſt Chriſti, cuius ipſe caput, nos autem membra, & opus ſumus, eo deceat, ac debeat fieri, plaſmari, ac conſtitui modo, quo factum, plaſmatum, & conſtructum fuit eius fundamentale principium, & caput: quale propterea eius fuerit plaſmationis opus, & generationis exordium noſcamus oportet, vt qualis vniuerſi corporis, & membri illius cuiuſcumq; futura ſit conſtructio, & qua ſint ratione, & metho-

do

Digitized by Google

do condenda, & Eccleſia ædificanda cognoſcamus.

Eius autem talem ex Sacris Scripturis inuenimus fuiſſe generationem. Gabriel Angelus à Deo eius conſtitutus legatus, ad annunciandum eius verbum Mariæ Virgini miſſus fuit: Ipſe autem vt legationis, ac miſſionis ſuæ legaliter munus impleret, quemadmodum debent omnes, ab eo qui miſſi ſunt, commiſſum ſibi, à Deo vt acceperat, Sanctiſſimæ auditrici ſuæ annunciauit verbum. Illa autem illud audiens, contemplans, & credens ab Angeli ore tanquam ab ore Dei ſumens illud, dixit: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum*; & confeſtim æternum Verbum caro factum eſt, *Luc.c.p.nu.26. 27. 28. 38.* Ecce ergo quomodo Maria acceptans verbum ſibi à Deo per Angelum tranſmiſſum, eiuſdem quoq; accepit verbi ſignificatum, quod Dei æternum fuit Verbum in excelſis cum eo in æternum habitans, & viuens, quod in verbo prædicto ſibi ab Angelo annunciato, & à ſe acceptato caro in eius eſt factum vtero ſancto, prout faciendum eſſe prædixerat ei Angelus, ſi ab eo ſibi annunciatum acceptaſſet verbum, quia verbum, quod egreditur ab ore Dei ad illum nunquam reuertitur vacuum, ſed facit quæcumq; ipſe voluit, & proſperatur in his, ad quæ miſit illud *Iſa.c.55. nu. 11.* id, videlicet, operatur, quod ſignificat verbum, *Luc. c.p. nu. 45.* ita & fecit Centurio, qui accipiens Chriſti verbum cum acceptato verbo vitam quoq; accepit pueri ſui, quæ ipſiuſmet diuini erat ſignificatum verbi. *Mat. c. 8. nu.8. & 13.* Mariæ enim per os Angeli in hoc miſit Deus verbum ſuum, vt in eius verbo verbum ſuum fieret caro, & miſſum verbum id, quod voluit Deus, operatum eſt, quoniam Verbum ſuum caro factum eſt, & Verbum hoc caro factum lapis eſt ille, qui factus eſt in caput anguli, ſuper quem omnes in eius debemus exaltari, & coædificari verbo, ſicut ipſe in verbo eſt ædificatus Patris. Non recuſet ergo, ſed acceptet quiſq; verbum eius, ſuo vt ædificetur verbo, & ad lapidem hunc non offendat pedem ſuum, quoniam illi credentibus factus eſt honor, non credentibus autem lapis offenſionis, & petra ſcandali his, qui offendunt verbo eius, nec credunt, in quo poſiti ſunt, propterea, qui ceciderit ſuper illum, conquaſſabitur, & ſuper quem ille ceciderit comminuet eum: *Pſal. 117. nu. 22. Pſal. 60. nu. 3. Iac. c.p. nu.18. Apoſt. ad Heb c.12. nu.25. Pet. p. c.2. nu.7. & 8. Luc. c.20. nu. 18.* Sic & non aliter, à Deo quicumq; miſſi ſunt, ſi verbũ Dei, quemadmodum ab eo prolatum fuit, annuncient, & auditores ab eorum ore, tamquam ab ore Dei illud audientes credant, & acceptent, in

nouam ſtatim Dei tranſmutantur creaturam, & in hoc fiunt ædificio electum opus, quoniam ex luto in aurum, ex ſilicibus in lapides pretioſos, ex immundis ſeminibus in mundum, & ſanctum Dei ſemen, ex iræ, & Diaboli filijs in Dei electos filios commutantur, *Iac. d. c. p. nu.* 18. *Mat. c.* 3. *nu.* 9. *Act. Apoſt. c.* 10. *nu.* 15. *&* 28. *Iſa. c.* 54. *nu.* 11. *&* 12. *Apoſt. ad Eph. c.* 2. *à num. p. ad* 7. quia hæc recta eſt, & inuariabilis creaturæ Dei formandæ, & Eccleſiæ illius ædificandæ forma, vt ex prædictis, & infradicendis apparebit: hinc eſt, quod ſuis qui auditoribus Dei communicat verba, ijſdem Dei dicitur eos parturire verbis, *Apoſt. p. ad Cor. c.* 4. *nu.* 15. *ad Gal. c.* 4. *nu.* 19. in nouamq; Dei transformare creaturam, atq; in rectum eos opus in hoc ædificare ædificio, *Iac. c. p. nu.* 18. *Apoſt.* 1. *ad Cor. c.* 3. *nu.* 9. *Act. Apoſt. c.* 20. *num.* 32. Hi verò, quibus communicata ſunt, ijſdem & ipſi Dei verbis Deo dicuntur eſſe geniti illorum vocis miniſterio, *Apoſt. p. ad Cor. c.* 4. *nu.* 15. *ad Heb. c.* 4. *nu.* 2. *Iac. d. c.* 1. *nu.* 18. In nouamq; Dei tranſlati creaturam Chriſti imagine ſculptam, in rectumque in hoc ædificio ædificati opus, *Apoſt. p. ad Cor. d. c.* 3. *nu.* 9. *Pet. p. c.* 2. *nu.* 4. *et* 5. *Iſa. c.* 54. *nu.* 11. *Apoc. c.* 21. *nu.* 18. *Pſal.* 121. *nu.* 3. quia, eius qui accipiunt verba, eum accipiunt, ac illius imaginem ſumentes in nouam Dei creaturam, ſpiritu mentis eorum per fidem, hoc eſt per diuini acceptionem verbi, renouantur. *Pſal.* 118. *nu.* 154. *Bar. c.* 4. *nu.* 37. *Io. c.* 6. *nu.* 69. *Act. Apoſt. c.* 20. *nu.* 32. *Iac. c. p. nu.* 18. *Apoſt. ad Eph. c.* 4. *nu.* 23. *ad Coloſ. c.* 3. *nu.* 10. *ad Gal. c.* 6. *nu.* 25. *ad Heb. c.* 4. *nu.* 2. renouati autem, & concorporales efficiuntur, *Ad Eph. c.* 3. *nu.* 6. & vnum cum ipſo euadunt omnes, *Ad Gal. d. c.* 3. *nu.* 20. *P. ad Cor. cap.* 6. *nu.* 17. *ad Coloſ. c.* 2. *nu.* 6. *&* 7. *Io. p. c.* 5. *nu.* 10. *&* 11. Ex quibus manifeſtiſſimè patet, quod per diuini in nos euangelizati acceptionem verbi, ſeminis tanquam Dei, in nouam Chriſti eum induentes transformamur creaturam, in quam transformati in ipſo tunc dicimur viuere, ac viuimus Deo, vel potius ipſe in nobis viuens ſua eſt nobis cõmunicatione vita, *Apoſt. ad Rom. c.* 6. *nu.* 8. 10. *&* 11. *ad Gal. c.* 2. *n.* 20. *c.* 3. *nu.* 26. *&* 27. nam in ipſius ſuſceptione verbi ipſum quoq; viuens accipimus Verbum Chriſtum Dominum, ipſa noſtra qui eſt vere vita. *Io. c.* 5. *nu.* 24. 25. *&* 38. *& eiuſdem p. c.* 5. *nu.* 11. *&* 12. *&* 18. *ad Eph. c.* 2. *nu.* 20. *ad Coloſ. c.* 2. *nu.* 6. 7. 2. *ad Cor. c.* 13. *nu.* 12. *et* 13. *Beatus* propterea *Iac.* poſt quam *d. c.* 1. *num.* 18. nobis notum feciſſet, qualiter Dei verbo in nouam eius trãſformamur creaturam vlterius progrediens *ſub nu.* 21. ait *In manſuetudine ergo hoc inſitum* (in humana videlicet hac carne noſtra) *ſuſcipite*

Ver-

Verbum (hoc eſt Chriſtum Dei Verbum verbo Dei caro factum) *qui animas noſtras ſaluare poteſt*, ideò, Chriſtum qui habet, vitam habet, illũ qui non habet, nec vitam habet, quia ipſe noſtra eſt verè vita, *Io. c.p.nu.4.& ſua p.d.c.5.nu.11.12.&* 18. Ab ore igitur eorum, qui huius debent eſſe Patres generationis Dei numquam recedant verba, neceſſe eſt, vt ad eruditionem noſtram in ſpiritu *Proph. Pſal.* 118. *nu.* 43.46.*&* 50. deprecatus eſt dicens: *Ne auſeras de ore meo verbum veritatis vſquequaq; & loquar de teſtimonijs tuis in conſpectu regum, & non confundar*, quoniam *eloquium tuum*, hoc eſt, verbum iſtud veritatis, *viuificat*, quia paternæ eſt eorum actus, & index fœcunditatis ad filios pariendum ipſi Deo, & ſanctæ huius verum ſemen propagandæ generationis, *Apoſt. ad Gal. d.c.4. nu.19. P. ad Cor. c.4. nu.15. Act. Apoſt. c.20. nu.32. Luc. c. 8. nu. 12. Mar. c.4. nu.14. 20. Pet. p. c.p. nu. 23. et 25.* ſine quo ſemine verbi infœcundi, & ſteriles eſſent, ac generare non poſſent, quoniam ad hoc *humanam Deus reprobauit ſapientiam, & diuini ſui elegit ſaluos facere credentes prædicatione verbi, Apoſt. p. ad Cor. dd. c.1. nu. 19. 20. & 21. c.2. nu. 3. & 4. c.3. nu. 19. ad Coloſ. c.2. nu. 8. Iac. d.c.1. nu. 18. Io. c.17. nu.17. Act. Apoſt. c.11. nu.14. &* 15. Hoc autem ſi decreuit Deus, illud quis infringet? Deum an ne æmulamur? vel illo fortiores erimus? vel humana verba noſtra eiuſdem erunt efficaciæ, & virtutis, cuius diuina ſunt? vel in audientibus ſe operabuntur virtutes, quas diuina operantur? *Apoſt. ad Rom. c.8. nu.33. P. ad Cor. c. 10. nu. 22. c. 14. nu. 36. 37. & 38. P. ad Theß. c.2. nu. 13. Act. Apoſt. c. 11. nu.14. & 15. Eccleſ. c.8. nu.4. Eccl. c.2. nu.18. & 19. c.4. nu.30.* Si ergo hæc omnia ab incorruptibili diuini procedunt ſemine verbi, & in eius propagantur veritatis verbo, neceſſarium conſequenter ſit medium, immutabiliſq; horum tradendorum, ac conſequendorum forma neceſſe eſt, quoniam depoſitum eſt à Deo Patre in manus conſignatum Chriſti Saluatoris noſtri, & à Chriſto in manus Apoſtolorum, & ab Apoſtolis in manus eorum, qui à ſe miſſi ſunt nequaquam ad dexteram, vel ad ſiniſtram declinantes eorum, quæ eis à D. N. I. Chriſto præcepta fuiſſent, ac ſic deinceps in futurum faciendum ordine ſucceſſiuo in perpetuum; *Deut. d. c.18. nu. 18. & 19. Iſa. c.30. nu. 21. Mar. c.16. nu.15. & 16. Apoſt. 2. ad Tim. c.p. nu. 13. & 14. iunctis ad eumdem p. c.p. nu. 10. & 11. & c.6. nu. 20. & P. ad Cor. c.11. nu. p. & 2. P. ad Tim. c.2. nu.13.* Depoſitum autem quale à deponente fuerit in manus conſignatum depoſitarij, tale etiã in indiuiduo, quibuſcumq; reddi iuſſum fuerit, reddatur oportet, quoniam huiuſmodi depoſiti

lex diuini ex ſanctione decreti inuiolabilis eſt fœdere ſempiterno: Patre cum eius filio de ea ſic loquente: *hoc eſt fœdus meum cum eis: quod ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, de ore ſeminis tui, & de ore ſeminis ſeminis tui amodo, & vſq; in ſempiternum, Iſa.c.59. nu.21.* ex quo manifeſtè colligitur, quod recti in hac Eccleſiaſtica ædificatione operis cõſtruendi nulla ſit, eſſeue poſſit alia forma, ipſa quam verborum Dei ſucceſſiua traditio, eorumq; mutua acceptio, per quam vnus poſt alium in eorumdem fide verborum in iſto Dei ſuperædificatur ædificio ſuper hũc angularem Chriſti lapidem inſidente, & fundato, *Ad Eph. c.2. nu.20.* Nam ex Domini noſtri Ieſu Chriſti omnis velut creaturæ Dei principij, ac totius ædificationis Eccleſiæ ſuæ lapidis primarij exiens ore verbum, ipſius quod eſt verbum Patris, in ſuoſq; penetrans, ac ſe transfundens Apoſtolos ſua eos viuificauit communione, viuificatoſq; ſuper ſe lapidem primarium ſternens ſuperædificauit, ſuæ velut alia duodecim fundamenta Eccleſiæ, in ipſiſq; ſic, vt ſupra, ſuper ſe ædificatis in virtute Dei per verbum eius viuit, *Apoc. c.p. nu.15. Iſa. c.8. nu. 14. & c.28. nu. 26. Io. c.6. nu.64. & 69. Pſal. 118. nu.50. Apoſt. ad Heb. c.4. nu.12. ad Gal. c.2. nu.20.*

Idem ſimiliter verbum ab Apoſtolis ſic, vt ſupra, à Chriſto receptum ex eorum in nos pertranſiens, ac ſe transfundens ore ſua nos conuiuificat communione, in eiuſdemq; conſtructione Eccleſiæ ſuper eoſdem Apoſtolos, à quibus ſuſcepimus illud, ſuperædificat, ipſi autem tanquam noſtri ſpirituales patres in virtute Dei in nobis ſic, vt ſupra, per verbũ eius ſuperædificatis cum ipſo viuunt Deo, *Apoſt. 2. ad Cor. c.13. nu.4. 5. & p. ad Theſ. c.3. nu.8.* Eccleſiæ ideò ſuperædificatio iſta ex lapidibus ſic ſuper ſe ſe concinè poſitis per diuini tranſfuſionem verbi de altero in alterum pertranſeuntis, & viuificantis, ac vnum poſt alium ordine ſucceſſiuo in ipſa in vnum ſimul ædificatione colligantis ædificij corpus conſtruitur, & ædificatur in templum ſanctum, & viuens Domino, *Apoſt. p. ad Cor. c.6. nu 19. ad Eph. c.2. nu. 21. et 22. Act. Apoſt. c.17. nu.24.* Nam lapis primarius iſte, vti totius fundamentum ædificationis, quæcumq; ad huiuſmodi conſtruendam ædificationem neceſſaria erãt Apoſtolis ſuis eius tradidit verbo, ſicq; edoctos in vniuerſum eos miſit prædicare mundum omni creaturæ, vt & ipſi tanquam ſucceſſiua ſuper ſe ædificata fundamenta, ea, quæ eis præceperat, quemquè ſeruare docerent, *Mat. c.28. num.19. & 20. Mar. c.16. nu.15.* ceteri ſic ab Apoſtolis edocti, ea, quę ab ipſis acceperunt,

perunt, docere debẽt ab eorum minimè diſcedentes fundamentis, & doctrinis, tãquam ſuper ijs ſuperędificati, ſicut & ipſi Apoſtoli à fundamento, & doctrina Chriſti, tanquam ſuper ea ſuperędificati nunquam diſceſſerunt. *Act. Apoſt. c. 2. nu. 42. Apoſt. ad Eph. c. 2. nu. 20.* vt tota huius paulatim ſupercreſcat ſuperędificationis conſtructio ſuper hoc angulari lapide Chriſto Ieſu Domino noſtro; ibi propterea *Apoſt.* dicit: *Vos eſtis domeſtici Dei ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophætarum in ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, ſuper quo omnis ædificatio conſtructa creſcit in templum ſanctum Domino, in quo vos coædificabimini in habitaculum Dei in ſpiritu.* Ex quibus manifeſtè clareſcit, quod conſtructio iſta ſucceſſiua eſt ſuperpoſitio, & mutua ſuperpoſitorum alterius in altero permanſio per ipſum diuini de altero in alterum transfuſionem verbi in vnam tãtum ædificationis Eccleſiæ conſtructionem, quæ corpus eſt Chriſti, nos ſimul omnes in eius fide tanquam membra in vnum colligantem: nos quidem ſuper ipſos Apoſtolos illorum velut ſuperglutinati ædificantium glutino, quod ſincera eſt, & inuiolata illa verborum relatio, quam ipſi à Domino noſtro accipientes Ieſu Chriſto ſua nobis communicarũt prædicatione: Ipſi verò ſuper Chriſtum lapidem primarium eius tanquam Sanctiſſimo ſuperglutinati glutino, quod ſincera eſt, & inuiolata illa verborum relatio, quam ipſe à Patre accipiens eis ſua communicauit prædicatione, *Deut. d. c. 18. nu. 18. & 19. Iſa. c. 30. nu. 21. Io. c. 12. nu. 49. et 50. c. 14. nu. 24. c. 15. nu. 15. c. 17. nu. 8. Act. Apoſt. c. 20. nu. 24. Apoſt. P. ad Theſſ. c. 2. nu. 4. & 13. c. 4. nu. 1. & 2.* Idcircò *Apoſt. ad Philip. c. 4. nu. 9.* vniuerſalem nobis diuinorum tradendorum relinquens methodum dicit: Quod, ab Apoſtolis quæ nos didicimus, accepimus, audiuimus, & in ipſis vidimus, ea & nos docere, & facere debemus, quoniam & ipſi, quæ à Chriſto didicerunt, acceperunt, audierunt, & in ipſo viderunt, docuerunt, & fecerunt, ex quibus magis, ac magis in claris ſemper remanet, quod ſucceſſiua, & inuiolata verborum Dei, & exemplorum vitæ à Chriſto, & eius Apoſtolis emanatorum traditio, & operatio, eorumq; mutua acceptio, & imitatio ipſa eſt Eccleſiæ ædificandæ immutabilis forma, methodus, & ratio, per quam vnus poſt alium ſuperædificatus in fidei vnitate conſtruitur in templum ſanctum Domino. Hi propterea, qui ſic, vt ſupra, in ea ſuperædificati ſunt, effecti dicuntur eſſe forma aliorum, qui poſt ſe in ea ſucceſſiuè ſuperædificandi ſunt, quia facientes, & dicentes, quæ ab inſtitutoribus ſuis ſic, vt ſupra in ea ſuperædificatis didicerunt,

runt, acceperunt,audierunt,in ipſis viderunt, dicuntur eamdem in ſe habere formam, quam ipſi habuerunt, quæ reſolutiua methodo ipſa eſt Chriſti forma,quia originaliter ab eo,tãquam totius ædificationis lapide primario acceperunt eam. *Apoſt. p. ad Theſſ. c.p. nu.7. ad Philip. c.p. nu.29. ad Coloſſ. c.2. nu.19. ad Gal.c.4.nu.19.* Deus Pater proptereà, *Iſa. c. 59. nu.21.* de huiuſmodi conſtructionis forma cũ Chriſto eius filio verba faciens ait: *Hoc eſt fœdus meum cum eis, quod ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui* (quod ſemen ipſi fuerunt Apoſtoli) *& de ore ſeminis ſeminis tui* (qui reliqui fuerunt poſt eos, in ipſa qui ſuperædificati ſunt Eccleſia) *amodò, & vſq; in ſempiternum*, quia huiuſmodi forma immutabilis, & æterna eſt, proptereà fundamentũ hoc primum, quod eſt Chriſtus, tamquam immutabile, & præter quod aliud nec poni, nec recipi, nec eſſe poteſt, & ſine quo qui ædificat nihil facit, quia ſine fundamento nulla ædificatio fieri poteſt, *Apoſt. p. ad Cor. c.3. nu.11. Mat.c.12. nu.30. Luc. c. 11. nu.23. Eccl. cap.22. nu. 21.* & qui aliud ponit, recipit, vel eſſe aſſerit, Antichriſtum ponit, recipit,& eſſe aſſerit, *Apoſt. p. ad Cor. dd. c.3. nu. 11. 2. ad eoſdem c. 11. nu. 4. ad Coloſ. c.2. nu.19. Io.1. c.2. nu.18. 19. & 22. c.4. nu. 1. 2. et 3.* Sic & diuinum verbum, & ſupernaturalium doctrina nobis à Domino noſtro Ieſu Chriſto, eiuſq; Apoſtolis, alijſq; ſucceſſiuè tradita immutabilia ſunt, *Apoſt.p. ad Cor. c.4. nu. p. c. 9. nu. 16. c.13. nu. 1. et 15. 2. ad eoſdem d. c. 10. nu.4. ad Gal. d. c.1. nu. 7. 8. 9. 11. & 12. Io. 2. ad Electam nu. 9. et 10.* ideò qui aliorum, quam Chriſti, & Apoſtolorum, & eorum, qui eos ſecuti ſunt, verba, & doctrinam tradunt, & recipiunt, Eccleſiam non ædificant, nec in eius ædificantur ædificio in electum, & permanens opus, quia illius ædificandæ methodus, & ratio recta eſt idem ſapere, & in eadem regula docendi, & operandi permanere, qua omnes in vnum ædificamur templum ſanctum Domino, in quod ædificati eſſe, ac ad id perueniſſe dicimur, ſi idem ſapiamus,& in eadem regula permaneamus, *Apoſt. ad Philip. c.3. nu. 16.* idcircò euangelicum, qui tradit verbum, illud ſanctificare dicitur, per illius verò ſanctificationem in audientium aures, & corda ſe transfundentem credentium oblatio fieri dicitur Deo accepta, & in Spiritu Sancto ſanctificata, *Apoſt. ad Rom. c.15. nu. 16. Act. Apoſt. c. 11. nu. 14. & 15. c.13. nu.46.48.& 49. c.20. nu. 24. & 32.* proptereà 2. *ad Theſſ. c.2. nu.5. et 15.* Apoſtolus ait: *Itaq; ſtate, & tenete traditiones* (iſtæ autem quænam eſſent tenendæ traditiones, per relatiuum eas præciſè determinans de-

demonſtrando ait:) *quas à nobis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam didiciſtis, & 2. ad Timot. c.3. nu.* 14. de eadem re eum commonendo ait: *Tu ergo permane in his, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi, ſciens à quo didiceris,* (quia non à puro homine; vt naturalis hæc mea me eſſe facto demonſtrat figura) ſed à Chriſto per os meum loquente, *2. ad Cor. c.5. nu.20. c.13. nu.3. Mat. c.10. nu.20. Mar. c.13. nu.11. Luc. c.12. nu.11. & 12. c. 21. nu.15. Act. Apoſt. c.20. 24. & P. ad eumdem c. 6. nu. 20. et 21. et c.2. nu.16.* eamdem proſequens materiam ait: *O' Timothee depoſitum hoc* (diuini videlicet verbi) *cuſtodi profanas deuitans vocum, doctrinarumq; nouitates, & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ, quam quidam promittentes circa fidem exciderunt, vt fecerunt Hymeneus, & Philetus*; & tandem ex his tanquam ex præmiſſis inferens, *2. ad eumdem c. 2. nu. 2. et P. c.p. nu.3.* ait: *Quæ ergo à me tu audiſti,* (vt ſupra per os meum loquente Deo) *hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei ſunt alios docere, denuncians eis, ne aliter doceant*; cum huiuſmodi ſacrarum ſcripturarum auctoritatibus, quæ legentibus occurrent, diuinumq; hoc non ſolum, vt ſuperius dictum fuit, ab omnibus eſt omnibus ſubminiſtrandum, & acceptandum verbum, ſed & inſuper tanquam Dei propriũ, & præcipuum (vt eſt verè) ab ipſis docentibus tradendum, & ab auditoribus acceptandum, vt in omnibus glorificetur Deus Pater, & D. N. I. Chriſtus, qui promulgationis diuini huius verbi caput eſt, & fundamentum, & ſanctæ huius exemplar, & architectus ædificationis, & vt auditores in ea in lapides viuentes, & pretioſos, atq; in rectum ædificentur opus, *Apoſt. p. ad Theſſ. c. 1. nu. 8. c. 2. nu. 2. 4. 8. et 13. c.4. nu.14. 2. ad eoſdem c.p. nu.10. 11. 12. 13. c.2. nu.14. P. ad Cor. c. 14. nu.36. c.15. nu.1. & 2. c.2. nu.3. et 4. c.9. nu.16. ad eoſdem 2. c.11. nu. 4. ad Gal. c.p. nu.7. 8. 9. 11. et 12. ad Rom. c. 10. nu.14. et 17. ad Heb. c.4. nu.2. P. ad Tim. c.p. nu.11. c.6. nu. 3. et 4. 2. ad eumdem c. p. nu. 10. 12. et 13. Io. c.3. nu.32. et 33. c.6. nu.45. c.7. nu.18. c. 5. nu. 44. Act. Apoſt. c. 11. nu.14. et 15. c.13. nu.46. 48. et 49. c.20. nu.24. et 32. Iſa. c.54. nu.13. Ier. c.23. nu.22. 28. 29. et 36. c.23. nu.29. et 32. Ezech. c.3. nu. 10. 17. et 27. c.13. nu.7.* omnes ergo quemadmodum à Chriſto tamquam primario, ac fundamentali lapide, & ab Apoſtolis tanquam ſucceſſiuis fundamentis ſuper Chriſtum radicatis, & conſtabilitis, ab alijſq; qui & ipſi Chriſtum, & Apoſtolos, tanquam ſucceſſiua dicti primarij fundamenta ſectati ſunt, audierunt, didicerunt, acceperunt, in ipſiſq; viderunt, cæteri deinceps ſic doceant, & faciant oportet, quia ſic docere, & facere recta eſt docendi, & in hoc ædificio ædificandi forma

nobis

nobis ab ipſis relicta, & commendata; *Apoſt. p. ad Cor. d. c. 3. nu. 11. ad Eph. c. 2. nu. 20. ad Philip. d. c. 4. nu. 9. c. 1. nu. 5. 14. et 27. c. 3. nu. 16. ad Coloſ. c. p. nu. 23. & 25. c. 2. nu. 6. P. ad Tim. c. 6. nu. 3. et 4. 2. ad Cor. c. 2. nu. 17. Io. c. 14. nu. 24. & ſua p. c. 2. nu. 24. 27. in fin. et 2. ad Electam nu. 9. et 10. et alijs ſuperius alleg. Non enim, qui ſe ipſum commendat, probatus eſt, ſed ille, quem Deus commendat, Apoſt. 2. ad Cor. c. 10. nu. 18.* proptereà *idem Apoſt.* diuini huius hortatur miniſtros verbi, vt velint in omnibus ſui eſſe imitatores, ſicut ipſe fuit Ieſu Chriſti, quia ſucceſſiua dicti capitis, & exemplaris imitatio recta eſt Eccleſiæ ædificandæ methodus, & ratio, à qua diſcedere nemo debet, *Io. p. c. 2. nu. 24.* & à qua, ſi nemo diſceſſiſſet, erraſſet nemo, vt ex præmiſſis, & infradicendis ſemper magis apparebit, quia huiuſmodi imitatio Chriſtianæ eſt perfectio vitæ, in qua error nullus eſt, eſſeuè poteſt, quoniam in hoc prædeſtinati fuimus, vt conformes efficeremur imagini, & ſimilitudini eius; & contra quam qui effectus fuerit dirigi nec poterit, *Iſa. c. 54. nu. 13. et 17. Apoſt. ad Rom. c. 8. nu. 29. P. ad Cor. d. c. 3. nu. 11. c. 4. nu. 16. c. 11. nu. p. c. 9. nu. 16. 2. ad eoſdem c. 11. nu. 4. ad Gal. c. p. nu. 10. 11. et 12. c. 2. nu. 14. ad Eph. c. 2. nu. 20. ad Coloſ. c. 3. nu. 17. c. p. nu. 25. c. 2. nu. 6. ad Philip. d. c. 8. nu. 9. Io. c. 10. nu. 5. 27. et 35. c. 12. nu. 49. et 50. c. 13. nu. 15. 17. c. 14. nu. 6. c. 20. nu. 29. & ſua p. c. 2. nu. 6. et 27. & 2. ad Electam nu. 9. Mat. c. 7. nu. 24. c. 8. nu. 8. & 10. Luc. c. p. nu. 18. et 20. c. 16. nu. 31. Act. Apoſt. c 20. nu. 24. et 32. c. 11. nu. 14. et 15.* Qui igitur, & quales ipſi euaſerunt auditores diuini verbi, in idipſum à diuini auditu tranſlati fuerunt verbi, *Apoſt. ad Gal. c. 3. nu. 2. & 5. Act. Apoſt. d. c. 11. nu. 14. et 15. c. 20. nu. 32.* quia *ſermo Dei,* vt ſæpius dictum fuit, *viuus eſt, & efficax, ac penetrabilior omni gladio ancipiti, pertingens vſq; ad diuiſionem animæ, & ſpiritus: infinitæ virtutis, & efficaciæ: omnipotens, & diuina poteſtate plenus: omnis actus, & forma rei, atq; illius perfectum opus:* humanus verò per ſe ſatum nullius eſt, eſſeue poteſt particeps virtutum, quia illæ non ab humana fragili noſtra, ſed à diuina omnipotenti proceſſerunt, & procedunt potentia, & ſuo ſancto ſunt communicatę verbo, cuius medio in nos prouenerunt omnia, quia agentium actus vltra ipſorum agentium vires, & facultates ſe extendant impoſſibile eſt: diuinus proptereà ſermo omnipotens eſt, *Sap. c. 18. n. 15.* quia ab omnipotente proceſſit, *Apoſt. p. ad Cor. c. 14. nu. 36. Iſa. c. 55. nu. 11. Sap. c. 12. nu. 9.* omnipotenter operatur, quia in ſe omnipotentiam habet, decet enim eius ſit virtutis, cuius eſt ille, qui protulit illum, *Luc. c. 4. nu. 32. c. 5. nu. 5. Mat. c. 7. nu. 29. Mar. c. 1. nu. 22.* huma-

Digitized by Google

nis vero cum ſit eorum duntaxat expreſſiuus conceptuum; qui in mente loquentis verſabantur, qui ſua ſunt vacillantes natura, & infirmi, atq; incerti exitus, *Eccl. c. 27. nu. 7. c. 5. nu. 14. Sap. c. 9. num. 14. Prou. c. 3. nu. 7. Iſa. c. 5. nu. 21.* tanquam ab humana procedentes mente, quæ facillimè veri, & recti ſpecie, & ſimilitudine hallucinari, ac decipi poteſt, *Sap. c. 4. nu. 11.* conſequenter etiam audientem non cum efficacia diſponere poteſt, quia ſola ſapientia Dei à fine ad finem fortiter attingens omnia cum ſuauitate diſponit. *Sap. c. 8. nu. 1.* ſed illa tantummodo perſuadere poteſt, *Apoſt. p. ad Cor. c. 2. nu. 3. & 4.* quia merè rationalis, finita, & limitata eſt; perſuaſio verò cum ea tantum fulciatur, & ſuſtineatur ratione, ſuper quam tamquam baſim eius tota inſidet vis, contraria conſequenter, vel diuerſa ſuperueniente ratione corruat, neceſſe eſt, quia non ſuper firmum Dei inſidebat fundamentum, quod ſanctum eius eſt verbum, quod deficiat impoſſibile eſt, quoniam æterna veritas eſt, *Apoſt. ad Gal. c. 5. nu. 8. Pet. p. c. 1. nu. 23. & 25. Io. c. 17. nu. 17.* & quod ad hoc elegit, & humanam noſtram reprobauit ſapientiam, quoniam ad id fallax, & ſtulta eſt, *Apoſt. p. ad Cor. dd. c. p. nu. 19. 20. 21. c. 2. nu. 3. 4. 11. c. 3. nu. 19. ad Coloſ. c. 2. nu. 4. & 8. Iſa. c. 64. nu. 4. Ier. c. 7. nu. 28. & 29.* Vt ergo auditores in hoc dicantur ædificio in lapides viuentes, & pretioſos Chriſti imagine ſculptos, ac in opus illius ſtabile ædificati, non proprijs, vel alienis, ſed diuinis tantum ſunt ædificandi verbis, quia etſi diuinum ab humano ſemper infinitè diſtet, vt ſuperius demonſtratum fuit, ad hanc tamen Eccleſiaſticam conſtruendam relatum ædificationem pro noſtro dicendi, & intelligendi modo, appoſitè aurum, argentum lapis viuens, & pretioſus dicitur, quia harum rerum ſubſtantiæ ab igne, in quo omnes probandi ſumus, corrumpi, & deuaſtari non poſſunt: humanum verò palea, lignum, ſtipula, fœnum, quia rerum harum ſubſtantiæ ſtatim, ac ab igne tactæ fuerint, incenſæ conſumuntur. *Pſal. 11. nu. 7. Pſal. 17. nu. 31. Prou. c. 30. nu. 5. Ier. c. 23. num. 28. Apoſt. p. ad Cor. d. c. 3. nu. 12.* cum vero, vt ſuperius demonſtratū fuit, qui ab huiuſmodi ædificantibus diuinum ſibi ſubminiſtratum accipiunt verbum, cùm acceptato accipiant verbo eiuſdem verbi ſignificatum, & qualitatem, quod per comparationem diximus eſſe argentum, & aurum &c. cui fide adhærentes vnum cum ipſo efficiuntur verbi ſignificato, *Eccl. c. 39. nu. 37. & 40. Apoſt. ad Heb. c. 4. nu. 2. P. ad Cor. c. 6. n. 17. ad Eph. c. p. nu. 13. c. 3. nu. 6. et 17. c. 5. num. 8. ad Coloſ. c. 2. nu. 6. & 7. c. 3. nu. 3. Io. c. 17. nu. 8. & 22. Act. Apoſt. c. 11. nu. 14. & 15.*

c. 20.

Digitized by Google

c.10.nu.32. conſequenter etiam, qui ab huiuſmodi ædificantibus diuinum accipiunt verbum, in hac & ipſi dicuntur ædificatione effici lapides viuentes, & pretioſi Chriſti imagine ſculpti, *Iſa. c.54.nu.11.12. 13. & 17. Apoſt. p. ad Cor. d.c.3. nu.12. c.6. nu.17. Pet. p. c.2. nu.5. & 6. Iud. ſua vnica. nu.20. Act. Apoſt. dd. c.20. nu.32. c. 11. nu. 14. & 15. cum alijs ſuperius allegatis,* in qua cum ſint, qualis huius tota debet eſſe ædificij ſtructura, *Iſa. d.c.54. nu.11. 12. Apoc. c.21. nu.18. & ſeq.* conſequenter etiam cum igne probati fuerint, non conſummabuntur, neq; corruent, ſed illorum opus in eadem ædificij ſtructura ſtabile permanebit, in ea autem permanentes mercedem recipient, quia cum Deus eius acceptãtibus teſtimonia, quæ ipſius ſunt ſanctiſſima verba, æternam promiſerit vitam, eis dabit illam, quoniam *fidelis eſt, & verax in omnibus verbis ſuis, Io. c.3. nu.32. & 33. c.5. nu. 24. & 38. c.12. nu.48. & 50. c. 17. nu.8. 17. 19. & 24. & ſua p. c.2. nu.25. Pſal.88. nu.29. & 35. Pſal. 144. nu. 13. Apoſt. p. ad Cor. d. c.3. nu.14.* qui verò non diuino, ſed humano in ea ædificati fuerint verbo, quod in diuini comparationẽ, vt dictum fuit, eſt palea, lignum, ſtipula, fœnum, ſi, cum igne probati fuerint, conſummabuntur, & eorũ opus in eadem ædificij ſtructura non permanſerit, ſed corruat, nemini mirum videri debet, quia in hac Eccleſiaſtica ædificatione non dialectico, ſed diuino ſumus ex Dei decreto ædificandi verbo, *Deut. c.18. nu. 18. 19. Sap. c. 16. nu.12. Ier. c.7. nu.23. & 28. Apoſt. ad Rom. d. c.10. nu.14. 17. ad Heb. c.3. nu. 7. 8. 18. 19. c.4. nu.2. c.12. nu.25. P. ad Cor. c.p. nu. 19. 20. 21. & 23. c.4. nu. 16. et 17. c.15. nu.1. ad Eph. c.6. nu.6. 19. & 20. Io. c.3. nu.18. & 36. c.4. nu.42. c.5. num.24. 34. 38. 41. & 44. c.6. num.44. 45. 64. & 69. c.8. nu.24. 43. et 47. c.10. nu.5. et 27. c.12. nu.48. & 50. c.14. nu.24. c.17. nu. 8. & 17. c.18. nu.37. Act. Apoſt. c. 13. nu. 7. 15. 44. 46. 48. & 49. Iſa. dd. c.41. nu.11. et 12. c.59. nu.21. Ezech. dd. c.2. nu.5. 7. c.3. nu.10. 17. & 27. c.13. nu.19. & alijs præallegatis ſcripturis.* Non diuino propterea, ſed humano ſibimet ipſis complacentes acquieſcere, & credere verbo, diuino etiam, & proprio offendiſſe facto, & ei, in quo ponendi erant, dicuntur nõ credidiſſe verbo, *Pet. p. c.2. n.8. Deut. c.18. n.18. et 19. Ier. c.7. nu.28. et 29. Mich. c.5. nu. 14. Io. d. c.5. nu. 38. & 44. Apoſt. p. ad Cor. d. c.2. nu.3. & 4. c.3. nu.15. 2. ad eoſdem c.4. nu.6. & 7. cum alijs ſuperius citatis,* neq; factomet ipſo ſuper Chriſtum ſuperpoſitum fuiſſe, ſuper quem, huius tanquam radicale ædificationis fundamentum, omnes, in ea qui ædificandi ſunt, inſideant oportet, neque fidenter ei acquieuiſſe dicuntur, quia non prius eius acquieſcere volentes verbo, quam

phy-

Digitized by Google

phyſica ratione, vel dialectico eſſet comprobatum teſtimonio, non ipſi Chriſto primò, & principaliter, prout ei primò, & principaliter, tanquam æternæ veritati, & noſtræ ſalutis fundamento abſolutè credamus, & acquieſcamus, neceſſe eſt, ſed phyſicæ rationi, & ipſi Ariſtoteli acquieuiſſe, & credidiſſe dicuntur; vt rectè cogitanti patebit; eius enim diuinum verbum natura ſua eſt credibile nimis, quia æterna veritas eſt, ab eo, qui mentiri non poteſt, procedens, omni ideò acceptione, & fide dignum iudicandum eſt vlla abſq; alia humana ratione, vel teſtimonio, qua, & quo egere quicumq; iudicat, incredulitatis nota carere non poteſt, *Deut. c.p. nu.43. c. 9. nu. 23. et 24. c. 18. nu.19. Pſal.92. nu.5. Iob c.13. nu.7. et 8. Iſa. c.p. nu. 2. c.40. nu. 12. & ſeq. vſq; ad 18. d. c.41. nu.11. & 12. c.59. nu. 21. Reg.2. c.6. nu. 6. et 7. Mar. c. 16. nu.16. Luc.c.p. nu. 18. et 20. Io. c.3. nu.36. c.5. num. 24. 34. 38. 41. et 44. c.6. nu. 44. et 45. c. 8. nu. 24. 46. et 47. Act. Apoſt. c. 4. nu. 19. et 20. Apoſt. ad Rom. c.10. nu.17. ad Heb. c.3. nu.15. c.4. nu.2. c.11. num.5. & 6. P. ad Tim. c.p. nu.15. c.4. nu.9. c.6. nu. 3. & 4.* propterea huiuſmodi auditores dialectici, & humani verbi, tanquam non à Domino (vt ſint neceſſe eſt) ſed ab Ariſtotele, purouè homine, quorum dictis, & atteſtationibus acquieuerunt, & crediderunt, plantati, & ædificati, *Io. d. c.6. nu.44. c.14. nu.6. c.10. nu.27. c.8. nu. 24. 25. & 47. c. 18. nu. 37. Iſa. c.54. nu.17. Act. Apoſt. cap.16. num. 14.* ſi eradicentur, & corruant ex Dei ſententia manifeſta eſt ratio, quia plantatio, & ædificatio omnis, quam non plantauit, & ædificauit Deus cæleſtis pater eradicabitur, & corruet, quia eam plantare, & ædificare non hominis, ſed Dei eſt opus, *Mat. c.15. nu.13. Luc.c.16. nu.31. Apoſt. ad Eph. c. 2. nu. 8. P. ad Cor. d. cap. 3. num. 15. cum alijs ſuperius citatis*, & prout latius ſupra demonſtratum fuit, ad quod habeatur relatio, ne legentes tædio affecti frangantur; ex quibus multarum ita clareſcunt ſenſus ſcripturarum, vt in eis nulla prorſus remaneat nota difficultatis, & præſertim præcitati *tex. Apoſt. p. ad Cor. c.3. n.12. & ſeq.* alias per ſe obſcuriſſimi, nunc autē ex his, quæ ſuperius præmiſſa ſunt dilucidiſſimi ſenſus, ad cuius comprobationem facit etiam textus *Zach. c.6. nu. 15.* dicentis: *Et qui procul ſunt* (gentes videlicet, quæ olim procul erant, nunc verò ad Chriſtum conuerſæ per eum dicuntur propè factæ, *Apoſt. ad Eph. c.2. nu.13. & 17.*) *venient, & in templo ædificabunt*: hoc autem futurū fore dixit: ſi, in eo qui per huiuſmodi ædificatores ædificabuntur, vocem, ideſt verbū Dei noſtri audierint, quia, ſi ad operis templi huius conſtructionem neceſſe eſt, vt, in eo qui ædificantur, Dei audiant ver-

Digitized by Google

bum, ex neceſſario quoq; antecedenti eis tradatur oportet, quia ibi diuini auditus verbi eſſe non poteſt, vbi illius nulla fuerit allocutio, quia auditus, & locutio: acceptio, & traditio: ædificatus, & ædificans cum in inuicem relatiua ſint, alter ſine altero dari non poteſt, idem eſt ergò, ac ſi *Zach.* dixiſſet: & qui procul ſunt venient propè,& ſuos auditores in templo ædificabunt in lapides pretioſos, dummodo huiuſmodi ædificantes verba Dei ſui loquantur, & ipſi ædificandi accipiant ea, quia, vt ſuperius dictum fuit, recta huius conſtruendæ ædificationis forma ex parte ædificantis ipſa diuini eſt traditio verbi: ex parte verò ædificandi ipſa eiuſdem diuini eſt acceptio verbi, *Apoſt. ad Rom. d.c.10.nu.14. & 17. ad Heb. dd. c.3. nu. 7. 8. 18. & 19. c. 4. nu. 2. c. 11. nu. 6. & 25. Deut. d.c. 18. nu. 18. 19. Eccl. c. 2. nu. 2. & 18. c. 16. nu. 29. Sap. c. 3. nu. 9. c. 6. nu. 12. & 27. c. 16. nu. 12. Iſa. d.c. 59. nu. 21. Ier. c. 7. nu. 28. & 29. Mich. c. 5. nu. 14.* propterea Dominus *Iſa. c. 57. nu. 19.* dixit: quod *ad pacem eorum, qui longè, & propè ſunt, creauit fructum labiorum,* non merè humanorum quidem, quia non fructus, qui à noſtra pendent natiuitate, ſanant, & conſeruant nos; ſed ſanctus eius ſermo, *Sap. c. 16. nu. 26. et 12. Pſal. 10. nu. 1. et 5. Pſal. 88. nu. 35.* ſi ergo non homo, ſed ipſe eſt Deus, qui verbo ſuo in hoc nos agro, & ædificio ſeminat, plantat, inſerit, ædificat, generat, proficere, & creſcere facit, *Mat. c. 13. nu. 27. et 37. Mar. c. 4. nu. 14. Luc. c. 8. nu. 12. Io. c. 10. nu. 27. c. 17. nu. 8. c. 18. nu. 37. Eccl. c. 11. nu. 24. c. 24. nu. 25. 44. Iob c. 12. nu. 14. Iſa. c. 22. nu. 22. c. 54. nu. 13. & 17. c. 57. nu. 19. c. 61. nu. 11. Zach. d. c. 6. num. 12. & ſeq. vſq; ad fin. cap. Apoſt. ad Rom. c. 11. nu. 18. & 23. P. ad Tim. c. 3. nu. 15. P. ad Cor. c. 2. nu. 11. et 12. c. 3. nu. 6. 7. et 9.* conſequenter etiam nullus, vti purus homo, eſt ille, qui ſuis præcipuis, & priuatis ſermonibus, & doctrinis nos in hoc agro Dei in verum eius ſerat triticum, in electam eius nos plantet plantam, ex oleaſtro in bonam inſerat oliuam, in eius nos in aurum, argentum, & lapidem pretioſum ædificet ædificio, in filioſuè Dei nos parturiat Deo, ſicuè ſatos, plantatos, inſitos, ædificatos, genitos nos germinare, creſcere, proficere, & fructificare faciat, quia talia facere non à pura viri, ſed à mera Dei procedit, & pendet voluntate, quia illius pura, & gratuita ſunt dona, virtuteſque, & efficaciæ diuino ſuo ingenitæ verbo, à quo in nos hæc proueniunt omnia, quoniam ad hæc *noſtram Deus reprobauit ſapientiam, & ſui elegit prædicationem verbi*, vt nos & hæc re cognoſceremus eius gratuita eſſe dona, & eius verbum diuina eſſe virtute, veritate, & poteſtate plenum, ideò nos à ſe genitos eſſe voluit in verbo veritatis, ipſum-

Digitized by Google

ipſummet quod eſt ſanctum verbum eius, *Mar. c.4. nu. 14. Luc. cap. 8. nu. 12. Iſa. c.60. nu. 21. c.54. nu. 11. et 12. Ier. c.2. nu. 21. c.10. nu. 23. d. c. 23. nu. 22. 28. et 29. Mat. c. 21. nu. 33. Apoſt. p. ad Cor. c. 1. nu. 21. c. 2. nu. 1. 3. 4. et 5. c. 3. nu. 6. 7. et 12. c. 12. nu. 3. 4. 5. 6. 11. et 13. ad Rom. c. 11. à nu. 17. ad 25. et 32. ad Eph. c. 2. nu. 8. Act. Apoſt. c. 4. nu. 19. et 20. c. 13. nu. 46. 48. et 49. Iac. c. p. nu. 18. Pet. p. c. p. nu. 23. et 25. Io. c. p. nu. 13. Eccleſ. c. 8. nu. 4. cum alijs ſuperius allegatis.* Nam, etſi ad diuina promulganda verba humanum audiamus interuenire ſermonem ab homine prolatum, quas tamen ſuperius diximus virtutes, non ab huiuſmodi homine ſic concionante, non ab illius ſermone, non à rethorica illius dicendi arte, non à ſubtiliſſimis dialecticis eius inductionibus, non ab ornata ratione eas repreſentandi, non à propria eius deniq; ſapientia, ſed à Deo, eiuſq; diuinis prouenit verbis illius miniſterio vocis, tamquam inſtrumento, prolatis, *Reg. 2. d. c. 23. nu. 2. Ezech. dd. c. 2. nu. 2. et 7. c. 3. nu. 7. 10. 17. et 27. Mat. c. 10. nu. 20. c. 13. nu. 25. Mar. c. 4. nu. 14. c. 13. nu. 11. Luc. c. 8. nu. 12. c. 12. nu. 11. cap. 21. num. 15. Act. Apoſt. dd. c. 2. nu. 33. c. 4. nu. 19. et 20. Apoſt. 1. ad Cor. c. 3. nu. 5. 6. 7. c. 4. nu. 1. 2. 15. et 16. 2. ad eoſdem c. 13. nu. 3. ad Gal. d. c. p. nu. 8. 9. 11. et 12. cum alijs ſuperius allegatis; idem* proptereà *2. ad Tim. c. 3. nu. 14. & ſeqq.* eumdem hortatur Timotheum, vt in ſuis prædicationibus diuina annunciet verba dicens: *Tù verò permane in his, quæ didiciſti, & credita ſunt tibi: ſciens à quo didiceris, à Chriſto videlicet*, per me ea tibi loquente, *d. 2. ad Cor. c. 13. nu. 3. & à ſacris litteris, quibus ab infantia operam dediſti, quæ poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto Ieſu;* quia, qui docent, eumdem debent habere ſpiritum fidei, *2. ad Cor. c. 4. nu. 13. Nam omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis eſt ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendũ in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei ad omne opus bonum inſtructus.* quia verbum Dei noſtrarum eſt lux mentium, atq; diuina eſt virtute, & poteſtate plenum, *Pſal. 118. nu. 105. & 160. Iſa. c. 54. n. 13. c. 64. n. 4. Sap. c. 6. n. 12. et 27. c. 16. nu. 11. et 12. Eccl. d. c. 2. nu. 2. et 18. c. 11. nu. 15. Io. c. 17. nu. 8. et 17. c. 14. nu. 6. et 26. cap. 18. nu. 37. c. 16. nu. 13. c. 15. nu. 26. Iac. c. p. nu. 18. Apoſt. p. ad Cor. dd. c. p. nu. 19. 20. et 21. c. 2. nu. 3. 4. 5. et 11. cap. 3. nu. 19. ad Coloſ. c. p. nu. 6. 10. et 11. c. 3. nu. 16.* Nam, ſi D. N. Ieſus Chriſtus lapis eſt angularis ille, ſuper quem, æternam qui ſunt conſecuturi ſalutem, poſiti eſſe debent omnes, *Io. cap. 10. nu. 9. c. 14. nu. 6. Act. Apoſt. c. 4. nu. 12. Pet. p. cap. 2. nu. 7. et 8. Apoſt. ad Rom. c. 9. nu. 33. P. ad Cor. c. 3. nu. 11.* ipſe tamen conſtanter affirmat, quod ad ſe venire nemo poteſt, niſi qui à Patre audie-

Digitized by Google

audierint, & didicerint, *Io. c.6. nu. 44. et 45.* quia omnis Dei filius à Deo edoctus ſit, neceſſe eſt, *Iſa. c.54. nu.13. c.60. nu.21. Mat. c.15. nu. 13.* nemo conſequenter talis erit, à Deo qui non edoctus fuerit: Ab eo autem vt quis edoctus dici queat, & ſit verè, ab eo audierit, neceſſe eſt, quia nil aliud eſt ediſcere, quam ipſius erudientis acquieſcere verbo, *Pſal. 93. nu.12. Ezech. c.2. nu.5. & 7. c. 3. nu. 11. & 27. Iſa. c.5. nu.4. et 5. Sap. c.6. nu.10. 12. et 27. c.16. nu.11. et 12. Io. d. c.6. nu.45.*

Ille verò à Patre audiuiſſe dicitur, qui eius verba de ore annunciantis illa, audiuit, quia illa re vera non ſunt propria annunciantis illa, ſed Patris, à cuius originaliter proceſſerunt ore, & qui per os annunciantis illa alloqui dicitur, & alloquitur verè, *Deut. c. 18. num.18. Ezech. dd. c.2. nu.7. c.3. nu.4. 10. 17. et 27. Reg. 2. d. c. 23. nu. 2. Apoſt. ad Heb. c.p. nu.2. Io. c.17. nu.8. c.14. nu.24. Mat. c.10. num. 20. Mar. c.13. nu.11. Luc. c.12. nu.12. c.21. nu.15.* Nam ſicut Pater verba ſua poſuit in ore D.N. Ieſu Chriſti, ponens ei, quid loqueretur, mandatum dediſſe dicitur, Chriſtus ſic ea à Patre accepta alloquens, verba Patris de eius mandato locutus fuiſſe dicitur *dd. Deut. c.18. nu. 18. Io. c.12. nu.49. et 50. c. 14. nu.24. & c.8. nu. 26. et 40.* Chriſtus ſic verba à Patre accepta in ore Apoſtolorum ſuorum ponens, quid loquerentur, eis mandatum dediſſe dicitur, & dedit verè, ipſi verò ſicut ab eo acceperunt ea, alijs ita locuti ſunt illa, ſic autem alloquentes, non propria, ſed Dei dicendi ſunt locuti fuiſſe verba per os, & linguam eorum exprimentis illa, atq; de eius mandato eorum mediante voce tamquam inſtrumento protulerunt ea, ſic & cæteri poſt eos faciant, oportet, quoniam ita faciendi eis incumbit neceſſitas, *Io. c.3. nu. 34. c.15. nu.20. c.17. nu.8. Ezech. dd. c.2. nu.7. c.3. nu.17. c.33. nu.7. Apoſt. p. ad Cor. c.9. nu.16. 2. ad eoſdem c.13. nu.3. ad Gal. d. c. p. nu.8. 9. 11. et 12. Mar. c.16. nu. 15.* character ideò, & index muneris illorum ipſa dicitur eſſe diuini allocutio verbi ita, vt manifeſtiſſimè pateat, quod diuini diſſeminatio verbi proprium eſt euangelizantis munus, & officium, quod ipſe ex Dei exequitur imperio, & mandato, ſic autem exequens, non etiam ipſe illud locutus fuiſſe dicendus eſt, ſed ipſe Pater, ex cuius mandato, imperio, & nomine ab euangelizantibus annunciatum fuit, non ſolum quia, qui per alium facit, per ſe ipſum facere dicitur, *Io. c.19. nu.p. l. qui per alium ff. de reg. iu.* verum etiam, quia verè eſt Deus, qui verba ſua loquitur miniſterio vocis euangelizantis, & per os, & linguam eius, tamquam per inſtrumenta animata, illa profert. *Exod. c.4. nu.12. Reg. 2. d. c.23. nu. 2. Ezech. dd. c. 2. nu. 7. c.3.*

Digitized by Google

7. c. 3. nu. 17. et 27. c. 33. nu. 7. Apoſt. ad Heb. dd. c. p. nu. 2. c. 3. nu. 8. 12. & 14. conſequenter is, qui per os, & linguam Euangelizantis verba Patris audit, non euangelizantem, ſed ipſum Patrem ſic, vt ſupra, per os, & linguam euangelizantis loquentem audire dicitur, cui ſi audiens, tamquam à Deo audito, acquieuerit, à patre quoq; didiciſſe dicetur, *Io. d. c. 6. nu. 45. Pſal. 93. nu. 12. Apoſt. ad Gal. d. c. p. nu. 8. 9. 11. et 12. P. ad Theſſ. c. 2. nu. 13. P. ad Tim. d. c. 6. nu. 3. 4. & 20. Reg. P. c. 15. nu. 23. & alijs ſuperius allegatis*, propterea *D. N. Ieſus Chriſtus* Apoſtolis ſuis dixit: *Qui audit vos, me audit: & qui me audit, Patrem meum audit,* cuius ore prodierunt ea verba, quæ vobis euangelizare præcepi, *Luc. c. 10. nu. 16. Mat. c. 10. nu. 40. Mar. c. 16. nu. 15. Io. c. 13. nu. 20. c. 14. nu. 24.* hinc eſt, quod auditus diuinorum verborum ipſius dicitur Dei auditus, quia eorum medio ipſum audimus Deum, *Apoſt. p. ad Theſſ. d. c. 2. nu. 13.* audientes autem ſi eius acquieuerimus verbo, erudiemur, eruditi ab eo didiciſſe, & edocti fuiſſe dicemur, *Io. d. c. 6. nu. 45. Iſa. d. c. 54. nu. 13. dd. Pſal. 93. nu. 12. & Pſal. 118. nu. 64. 105. & 116. cum alijs ſuperius citatis* ex Deo propterea eſſe dicuntur, verba Dei qui audiunt, ideſt actualiter eis acquieſcunt, *Io. c. 8. nu. 47. c. 6. nu. 45. c. 17. nu. 8. c. 4. nu. 42. Iſa. c. 50. nu. 4. & 5. et d. c. 54. nu. 13. & Ezech. dd. c. 2. nu. 5. & 7. c. 3. nu. 27. Apoſt. ad Heb. d. c. 4. nu. 2.* diuinorum necnon auditus verborum fidei auditus dicitur, quia ex eorum auditu fides oritur, *Apoſt. ad Gal. c. 3. nu. 2. ad Rom. c. 10. nu. 17.* quia illa iſtius verum ſunt ſemen, *Mar. c. 4. nu. 14. Luc. c. 8. nu. 12. cum ſuperius allegatis: D.* propterea *noſter Ieſus Chriſtus, Mat. c. 13. nu. 37. & 38.* myſterium ſationis huius enodans ſeminis ait: quod, bonum hoc qui ſeminat ſemen, ipſemet eſt, qui in hoc agro mundano non aliud ſemen ſeminauit, quã, quod à Patre accepit, quod eſt verbum eius, *Io. dd. c. 12. nu. 49. & ſeqq. c. 14. nu. 24.* & quod ager, in quo ſeminatur eſt mundus, ideſt vniuerſa, quæ in mundo eſt creatura, cui prædicatum fuit, *Mar. c. 16. nu. 15. Apoſt. ad Coloſ. c. p. nu. 6. & 23.* ſeges autem ex bono hoc ſemine orta ipſi ſunt filij Dei, quia ex diuini oriuntur auditu verbi, *Io. c. 8. nu. 47.* nam, ſatum qui hoc Dei recipit ſemen, teſtimonium in ſe Dei habet, quod eſt verbum Patris, quod non verum, & non verax ſit fieri non poteſt, quoniam, illud qui protulit, mentiatur impoſſibile eſt, *Io. c. 3. nu. 33. & ſua p. c. 5. nu. 10. Apoſt. p. ad Cor. c. p. nu. 6. ad Heb. c. 6. num. 18. Num. c. 23. nu. 19. Deut. d. c. 18. nu. 15. & 18. Act. Apoſt. c. 3. nu. 22. c. 7. nu. 37. Mat. c. 17. nu. 5. Mar. d. c. 4. nu. 14. c. 9. nu. 6. Luc. d. c. 8. nu. 12. c. 9. nu. 35. Pet. 2. c. p. nu. 17.* ex hoc autem diuini ſemine verbi qui geniti

ſunt,

Digitized by Google

ſunt, quia à Deo audierunt, & didicerunt, à Deo edocti eſſe dicuntur, & conſequenter eſſe plantationes manuum eius, & ad Chriſtum veniſſe, atq; ex Deo eſſe, *Io. dd. c.6. nu.45. c.8. nu.47. Iſa. dd. c.54. nu. 13. c.60. num. 21. Mat. c.15. nu. 13.* propterea à Deo geniti eſſe dicuntur ex incorruptibili eius ſemine verbi, quod & verbum dicitur veritatis, *Pet. p. c.p. nu.23. et 25. Iac. c.p. nu.18. Io. c.p. nu. 13. Apoſt. ad Gal. c. p. nu.8.9. 11. et 12.* quorum pretioſa ſeges non ab alio, quam à Deo ſua dietim recipit incrementa, *Apoſt. p. ad Cor. c.3. nu.7. Mar. c. 4. nu. 26. et 27.* quoniam illius ſunt gratuita dona, *Apoſt. ad Eph. c.2. nu. 8. c.3. nu.20. Act. Apoſt. c. 13. nu. 48. c. 16. num.14.* Seges verò, quæ ex zizaniorum oritur ſemine, hoc eſt, ex alienis traditionibus à verbo, & à doctrina Chriſti, *Io. c.10. nu.5. & ſua p. c.2. nu.24. et 27. in fin. et 2. ad Electam nu. 9. Mat. 12. nu.30. Luc. c.11. nu. 23.* ſit adulterina, conſequens eſt, & ſic filij nequam: nam, ſi ab vnoquoq; ſemine propriæ oritur ſpeciei ſeges, *Gen. c.p. nu. 11.* ex alio conſequenter qui orientur ſemine, quam à bono ſemine Chriſti ſato, ſint filij nequam, conſequens eſt, quia ſi, vt ſuperius demonſtratum eſt, ad Chriſtum venire nemo poteſt, niſi qui à Patre audierint, & didicerint, & à Patre hi verè audiunt, & diſcunt, Dei verba qui audiunt, ſi tamē illis acquieuerint, *Apoſt. ad Heb. d. c.4. nu. 2.* qui conſequenter diuino non erudiuntur verbo, nullo alio dicuntur poſſe erudiri diſciplinæ genere, quia à recto à Deo nobis præſcripto inſtituendæ eruditionis huiuſmodi euariant principio, quod eſt, vt diuino eius prius acquieſcamus verbo, *Ier. d. c.7. nu.28. Io. d. c.6. nu.45. c.8. nu. 43. c. 15. nu. 21. Ezech. d. c.2. nu.2. & 5. c.3. nu.27. Apoſt. ad Heb. d. c.4. nu.2.* nam ex Apoſtoli ſententia, diuino qui non acquieſcunt verbo, ſuperbi ſunt, & indocti, ideò etſi ſemper diſcant, hoc eſt in humanis quotidie magis proficiant ſcientijs, ad diuinæ tamen numquam peruenient ſcientiam veritatis, *Apoſt. p. ad Tim. c.6. nu. 3. & 4. & ad eumdem 2. c. 3. nu. 2. et 7. Iſa. c.30. nu. 8. Prou. c. 21. nu. 24.* quia ijs reprobatis principijs, & medijs, quæ ad diuinam aſſequendam veritatem à Deo nobis præſcripta, & aſſignata fuerunt, ad illam perueniamus impoſſibile eſt. Si ergo pro primo ſalutis noſtræ, ac diuinæ capeſſendæ veritatis principio, & medio à Deo nobis præſcriptus, & aſſignatus fuit diuini ſui auditus verbi, illud etiam audiamus, illiq; acquieſcamus in dominicæ, & paternæ eius obſequium obedientiæ, & dilectionis, neceſſe eſt, *Deut. d. c.18. nu.18. et 19. Ier. c.7. nu.28. Ezech. dd. c.2. nu.2. et 5. c.3. nu. 27. Zach. c.6. nu.15. in fin. Mar. d. c.16. num. 15. et 16. Io. d. c.6. num.45.*

Apoſt.

Apoſt. ad Heb. c.3. nu.18. et 19. c.4. nu.2. Eccl.c.3. nu.p. Malach.c.p. nu.6. quia ſic ſibi complacuit Deus,ſic autem ſibi complacenti acquieſcamus oportet, quoniam Deus, & Dominus eſt, & ſermo eius eſt omni acceptione dignus, ac ſupra omnem cogitatum noſtrum credibilis nimis, *Iſa.c.58. nu.13. Luc. c.17. nu.9. & 10. Apoſt. p. ad Cor. c.p. nu. 21. ad Heb. dd.c.3. nu.18. 19. c.4. nu.2. c.11. nu.6. c.12. nu.25. P. ad Tim. c.p. nu.15. c.4. nu.9. Pſal. 92. nu.5. Io.c.8. nu.46. 47. c.17. nu. 17.* vt eo tanquam principio, & medio eius efficaci,& penetranti virtute ad Chriſtum venire valeamus, ad quem cum peruenerimus, per ipſum poſteà, tamquam oſtium, & iter eundi ad Patrem tranſeuntes, & gradientes ad eum tandem ingredi valeremus iuxta illius ſanctum decretum, *Io. d.c.6. nu.45. c.10. nu.9. c.14. nu.6. cum alijs præcitatis*, de quo *Iſa. c.8. nu. 16.* ſic loquitur dicens; *Liga teſtimonium meum in diſcipulis meis*: hoc eſt, hanc diſcipulis meis inuiolabiliter ſeruandam ſtatue legem; *vt teſtimonium meum*, hoc eſt, verba mea tamquam de ore meo *audiant omnes*, audientes eis acquieſcant, acquieſcentes erudiantur, & ediſcant, hac autem methodo, & via audientes, & ediſcentes non ab alio, quam à me ipſo eruditi, & edocti fuiſſe dici queant, quia, vt diſcipuli mei re vera ſint,à me ipſo audiant,erudiantur,atq; edocti ſint, neceſſe eſt, *Iſa. c.54. nu.13. c.50. nu.4. & 5.* &, ſi vniuerſi ſunt plantationes manuum mearum, *Iſa.c.60. nu.21.* non ab alio, quam à me ipſo ſint plantati, neceſſe eſt: ideò D.N.I.Chriſtus, *Mat.c.15. nu.13.* aſſerit, quod omnis plantatio, quam non plantauerit eius Pater cœleſtis, eradicabitur, etſi omnes naſcantur oportet ex incorruptibili ſemine Dei; & ſemen hoc incorruptibile Dei eſt verbum eius, quod manet in æternum,ex diuini etiam oriantur ſemine verbi, neceſſe eſt, *Mat.d. c.13. nu.37. & 38. Mar. c.4. nu.14. Luc.c.8. nu.12.* propterea filij Dei dicuntur à Deo eſſe geniti ex incorruptibili eius ſemine verbi, quod & verbum dicitur veritatis, *Pet. p. c.p. nu. 23. & 25. Iac. c.p. nu. 18. Io. c. 8. nu.47. c.17. nu.17. Pſal. 30. nu.6.* & vt numquam ignorare valeremus, quod tradendæ diſciplinæ Dei, & eruditionis diſcipulorum eius inſtitutio ab alio nullo, quam à Patre ratione principij procedere, & pendere poſſet, ne huiuſmodi ignoratione rei à falſis deciperemur prophætis, ipſe Dominus noſter Ieſus Chriſtus, tamquam Patris legatus ad nos miſſus, hoc nobis exponens Patris decretum, *Io. d. c. 6. nu.45.* ait: *Ad me*, (qui ſum à Patre oſtium, & iter conſtitutus eorum, qui ad eum ingreſſuri ſunt, *Io. c.10. nu. 9. c.14. nu. 6.*) *venire nemo poteſt, niſi qui à Patre meo audierint, & didicerint*, nam ſicut,quæ Dei ſunt,

I ſine

ſine Deo ſciri non poſſunt, *Iſa. c. 64. nu. 4. Apoſt. p. ad Cor. c. 2. nu. 11.* & operationes diuinæ, quæ ab extra ſunt, à tota procedunt Triade, *Io. c. 16. nu. 13. 14. 15. c. 8. nu. 40. 46. c. 14. nu. 6. 24. 26.* conſequenter infallibilis character veritatis diſciplinæ à Deo traditæ, & eruditionis ab eo aſſecutæ iſte erit, quòd à Patre, tamquam inuariabili diuinæ Triadis principio, audita, & accepta fuerit, à Patre ergo audiamus, & ediſcamus, vt rectè ediſcamus, & non decipiamur, oportet, proptereà D. N. Ieſus Chriſtus, *Io. c. 5. nu. 43.* ait: *Ego veni, & locutus ſum in nomine Patris mei, & non accipitis me*, ſi alius venerit in nomine ſuo proprio, & propria verba ſua locutus fuerit, quamquam hinc certus immineat error, accipietis illum, *ibidem nu. 30. 34. 41. et 44. c. 3. nu. 34. c. 12. nu. 44. 49. & 50.* A Patre ergo, qui audierint, eruditi, & edocti fuerint, ad me etiam venient, quoniam, huiuſmodi qui ſunt, mihi tradentur à Patre meo, vt eis dem vitam æternam, *Io. c. 17. nu. 2. & ibidem nu. 6. & 8.* ſubiungens ait: *Tui erant, & eos mihi dediſti*: horum autem rationem reddens ait: *quia verba, quæ dediſti mihi, dedi eis, & ipſi acceperunt ea*, per ea autem ſic accepta cognouerunt verè, quia à te exiui, & crediderunt, quia tù me miſiſti. Curam verò manifeſtare volens, quam habiturus eſſet de diſcipulis Patris, ab eo ſic, vt ſupra, traditis, *Io. c. 6. nu. 37.* ait: *Omne, quod dat mihi Pater, ad me veniet, & eum, qui venit ad me, non eijciam foras, quia deſcendi de cœlo, vt non meam* (hanc humanam) *faciam voluntatem, ſed eius, qui miſit me.* Qui ergo à Patre audierint, & auditui eius acquieſcentes didicerint, tamquam diſcipuli à Patre edocti ad Chriſtum venient, quia ad eum acceſſum habemus per fidem, quæ diuino eſt audito fidenter acquieſcere verbo, quoniam fides ex auditu oritur, audituſq; huiuſmodi fit per verbum Ieſu Chriſti, quod ipſius eſt Patris verbum ab eo per os Chriſti prolatum, *Apoſt. ad Eph. c. 3. num. 12. & 17. Ad Heb. cap. p. num. 2. c. 3. nu. 18. & 19. c. 4. nu. 2. c. 12. nu. 25. ad Rom. c. 10. nu. 17. Eccl. c. 4. nu. 17. Io. c. 8. nu. 12. 16. 17. 21. 25. 26. & 29. c. 14. num. 24.* hinc manifeſtius ſemper apparet, quod huic Patris teſtimonio acquieſcamus, oportet, & quod quicumq; illud accipit, hunc in diſcipulum ſuum ſignauit Pater, & ad Chriſtum venit, immo illum accipit, quia huiuſmodi teſtimonij acceptio ipſa eſt fides, per quã ad ipſum accedimus Chriſtum, *Io. c. 3. nu. 33. c. 12. nu. 44. c. 14. nu. 24. & ſua p. c. 5. nu. 10. & 11. Apoſt. ad Eph. d. c. 3. nu. 12. & 17. ad Coloſ. c. 2. nu. 6. & 7.* illud verò acceptanti ſe ipſum Chriſtus negare non poteſt, quoniam Patri fidelis eſt, & illi Pater, quoniam *verax eſt in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in*

I   om-

Digitized by Google

omnibus operibus ſuis, Iſa.d.c.8.nu.16. d. Io. c.3. nu. 33. c.6. nu. 45. & 37. Apoſt.2. ad Tim. c.2. nu.13. Pſal. 88. nu.29. & 30. Pſal.144. nu.13. Illud verò qui noluerint accipere, tãquam vaſa contra prædictam à Deo nobis præſcriptam effecta formam non dirigentur, *Iſa. d. c.54. nu. 13. & 17.* nec mirum cuiquam videri debet, quia ſi, vt diſcipuli, filij, plantationes, ſegetes, lapides pretioſi in ædificatione Dei ſimus, à Patre audiamus, & ediſcamus, oportet, *Iſa. dd.c.54. nu.13. c.60. nu.21. Io. dd. c.6. nu.45. c.3. num.33. cum alijs ſuperius alleg.* illum conſequenter qui non audierint, homines nec audient, nec vllo alio poterunt erudiri diſciplinæ genere, *Ier. c.7. nu.28. Ezech. c. 3. nu.7. Io. c. 15. nu. 20. c.8. nu.43.* quia *ſine fide impoſſibile eſt placere Deo*, & ad diuinorum perueni-re cognitionem, *Apoſt. ad Heb. c.11. nu.6. P. ad Cor. c.2. nu.11. ad eaſdem 2. c.3. nu.14. & 15. Iſa. c.29. nu.11. & 12. c.64. nu.4.* fides verò, vt præmiſſum eſt, diuino eſt audito fidenter acquieſcere verbo, *Apoſt. ad Rom. d. c.10. nu.17. ad Heb. dd. c.3. nu.18. 19. c.4. nu.2. c. 12. nu. 25. Io. dd. c.6. nu.45. c.14. nu.24. Zach. c.6. nu. 15. cum alijs ſuperius alleg.* cui vt acquieſcamus, prout decet, noſtrum oportet illi ſubijciamus intellectum illud vlla ſine hæſitatione, & firmiter credentes eſſe verum, *Apoſt. 2. ad Cor. c.10.nu.5.* cui rectè acquieſcendi tutam nobis volens Deus tradere formam, vnum tamquam credendi verum exemplar, & patrem, ante oculos noſtros propoſuit Abraham, vt ab eo veram hanc apprehenderemus credendi formam, *Iſa. c.51. nu.1. & 2. Apoſt. ad Rom. c.4. nu.18. 19. 20. & 21.* Hic enim diuino verbo vlla ſine hæſitatione, ac omni penitus remota naturalium acquieuit perſcrutatione rerum, num ea, quæ ſibi à Deo dicebantur, in ipſa naturaliter eſſent poſſibilia natura, quaue fieri poſſent ratione, vel via, cæteraue huiuſmodi ſimilia, ideo, etſi ſibi conſtaret, quod eius decrepita ætas ad generandum eſſet impotens: & emortuum vxoris ſuæ vterum, neč concipere, nec conceptum retinere poſſet, & quod ex filio ſuo à ſe Deo in holocauſtum offerendo impoſſibile ſecundum naturam eſſet, quod egredi poſſet innumerabile ſemen, non tamen infirmatus fuit fide, ſed in his omnibus, quamquam naturalis ratio omnem ei euenturæ rei adimeret ſpem, incorruptam ſpem habuit, pleniſſimè ſciens, quod qui promiſit, potens eſt ea facere; quia apud Deum nihil eſt impoſſibile, ſed quod ex lapidibus ſibi poterat ſuſcitare filios, propterea illi reputatum fuit ad iuſtitiam, *Apoſt. ad Rom.d.c.4. nu.18. 19. 20. & 21. Gen. c.21. nu.12. c.22. nu.9. & 10. Luc. c.1. nu. 37. Mat. c. 3. nu.9.* Ideò qui antequam diuino re acquieſcant verbo naturalem

 ali-

aliquam vlteriorem rationem ſuo ſubiectibilem intellectui præſtolantur, vel exquirunt, vt eius medio, an illi acquieſcendum ſit, intelligant, circa rectam introducendæ fidei formam nobis à Deo præſcriptam multipliciter errant: Et primò, quia manifeſtè de diuini veritate verbi illius hæſitare demonſtrant, quia ſi de ea re non hæſitarent, de ea nil vlterius exquirerent, ſed illi tanquam diuino teſtimonio fidenter, & feſtinanter acquieſcerent, *Io. c. 5. nu. 34. & 41. d. c. 6. nu. 45. 61. 66. & 67. Apoſt. ad Rom. d. c. 4. nu. 20. Eccl. c. 18. nu. 14. cum alijs ſuperius alleg.* quod & exemplo confirmatur ex eo, quod contigit Zachariæ, qui diuino verbo ſibi prolē promittenti non acquieſcens, ſed exquirens rationem intellectum ſuum quieſcere facientem, quomodo, cum ipſe, & vxor eius, qui in ætate ita proceſſerant, vt naturaliter amplius generarent impoſſibile eſſet, filium habere poſſent, meritò diuino non credens verbo, verbo priuatus fuit, quia, *in quo quis peccat, à Domino corripitur, Luc. c. p. nu. 11. Sap. c. 11. nu. 17.* quamnam enim credendorum nobis afferunt rationem Sancti Prophetæ, & Apoſtoli Domini, niſi, quod Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus dixerit: Ipſo enim dicente, quo vlteriori egemus teſtimonio? vadimoniumne forſan de fide ſeruanda ab eo exigendum eſſe putamus? Si ergo ſcimus, & confitemur, quod omnia poteſt, & quæcumq; habemus ab eo donata ſunt nobis, quoniam omnipotens eſt, & largitor optimus: Si ei benefaciendi non deficiunt viæ, quoniam æterna eſt ſapientia: ſi nos prior dilexit, quam nos dilexerimus eum, quoniam charitas eſt: ſi impoſſibile eſt, quod mentiatur, vel promiſſa irrita reddat: ſi verbum eius eſt ipſa veritas: ſi omnipotens eſt, & diuina virtute, veritate, & poteſtate plenum: ſi ignitum eſt, & charitate plenum, ſi, quin fiat, fieri non poteſt: ſi, illud qui recipit, cum verbo verbi ſignificatum accipit: *Mat. c. 19. nu. 26. 2. Paral. c. 14. nu. 11. Sap. c. 7. nu. 21. vſq; ad fin. cap. c. 9. nu. 9. c. 12. nu. 19. Eccl. c. p. nu. 10. Io. p. c. 7. 10. & 16. Num. c. 23. nu. 19. Apoſt. ad Heb. c. 6. nu. 18. Pſal. 144. nu. 13. & 21. Pſal. 88. nu. 35. Pſal. 32. nu. 4. Io. c. 10. nu. 35. c. 17. nu. 17. Mat. c. 5. nu. 18. cap. 8. nu. 3. Mar. c. p. nu. 42. Luc. c. 5. nu. 13. c. 16. nu. 17. Prou. c. 30. nu. 5. Eccleſ. cap. 8. nu. 2. & 4. Eſd. 4. c. 6. nu. 38.* Si ita, quid delirius, quam rationem exquirere, num, quæ dixit Deus, vera ſint? quid iniquius, quam de ſucceſſu hæſitare promiſſorum? quid à gratitudine magis alienum excogitari poteſt, quam de diuina ambigere bonitate? qui hæc diſſimulat, vel ignorare dicit, vel ſuperbus eſt, vel indoctus, vel vterq; ſimul, *Apoſt. p. ad Tim. c. 6. nu. 3. & 4.*

Secun-

Secundò, quia,ſi quis firmiter crederet,quod ad lumen poſſet peruenire fidei naturalium rationum ſuo ſubiectibilium intellectui medio, ſi non explicitè, implicitè ſaltem negare diceretur, quod fides ſupernaturale eſſet donum à Deo nobis gratis donatum,prout eſt verè, *Apoſt. ad Eph. c. 2. nu. 8. Act. Apoſt. c. 13. nu. 48. c. 16. nu. 14.*

Tertiò, quia,ſi medio naturalium rationum noſtro ſubiectibilium intellectui illi ſatisfacere, & illis eum quieſcere curare contendimus, illum vtiq; diuino fidenter non ſubijcimus verbo illud firmiter credentes ipſam continere veritatem, vt facere deberemus, *Apoſt. 2. ad Cor. c. 10. nu. 5.* ſed potius actum exaduerſo contrarium facimus,dum tentamus ipſum Dei verbum noſtro ſubijcere intellectui propria noſtra illud præſumentes capeſſere poſſe virtute, quæ exaduerſo conuerſa, & non recta eſt fidei introducendæ norma, *Apoſt. ad Rom. d. c. 16. nu. 17. ad Heb. d. c. p. nu. 2. cap. 3. nu. 18. & 19. c. 4. nu. 2. c. 12. nu. 25. ad Tim. P. d. c. 6. nu. 3. & 4.*

Quartò, quia ſic Sanctiſſimo Dei Patris contradiceremus decreto, quod eſt, vt omnes eius diuinum audiamus verbum,& illi acquieſcamus, vt ab eo omnes audiuiſſe, & didiciſſe re dici valeremus, vt tamquam eius diſcipuli ab eo edocti, & filij ab eo in verbo veritatis geniti, ad Chriſtum venire valeremus, *Deut. d. c. 18. nu. 18. & 19. Iſa. dd. c. 8. nu. 16. c. 54. nu. 13. Zach. d. c. 5. nu. 15. Io. dd. c. 6. nu. 45. c. 8. nu. 47. c. 12. nu. 47. & ſeqq. c. 14. nu. 24. Iac. c. p. nu. 18.* cui qui præſumpſerint contradicere,ad matutinam non peruenient lucem, *Iſa. d. c. 8. nu. 20. Sap. c. 5. nu. 6.* propterea diſcipuli illi, quibus diuini huius decreti ſermo durus viſus fuit; quoniam illi ſuum noluerunt ſubijcere intellectum, ſed propria ſui capere virtute ingenij,retrò abierunt, & à fide receſſerunt, *Io. d. c. 6. nu. 61. 66. & 67.* qui vero è contra iuxta diuini huius formam decreti dicto ſermoni ſuum feſtināter ſubijcientes intellectum illi fidenter acquieuerunt, tamquam verum fidei exercentes actum, ipſam quoq; verbi cognouerunt veritatem, & ſtabiles in fide permanſerunt, *Io. d. c. 6. nu. 69. & 70.* quia, qui fideles ſunt, diuino verbo in dilectione acquieſcunt, quoniam in illo, cuius audita illa ſunt verba, hoc eſt in Deo Patre confidunt,in illo autem confidentes hanc intelligent veritatem, *Sap. c. 3. nu. 9. Io. dd. c. 14. nu. 24. c. 17. nu. 7. 8. & 17. Eccl. c. 4. num. 17.* quia fides eſt intellectus diuinorum principium, *Apoſt. 1. ad Cor. c. 3. nu. 14. & 15. ad Eph. c. 3. num. 17. 18. & 19. Eccl. d. c. 4. nu. 17. & 21.* Nam, ſi Dei quæ ſunt, ſine Deo ſciri non poſſunt, *Iſa. c. 64. nu. 4.* quoniam ſicut ea, quæ hominum ſunt, nulla alia

infe-

inferior creatura ſcire poteſt, niſi ſpiritus hominis,in ipſo qui eſt homine, ſic ea, quæ Dei ſunt, ſcire nemo poteſt, niſi ſpiritus ipſe Dei, in ipſo qui eſt Deo, *Apoſt. p. ad Cor. c.2. nu. 11.* Niſi ergo Deus de altiſſimis miſerit Spiritum Sanctum ſuum, qui ea nos doceat, ea ſciamus impoſſibile eſt, *Sap. c.9. nu. 13. & 17.* ſi enim ſcimus in verbo Domini, quod Spiritus Sanctus omnem nos ſupranaturalium docturus eſt veritatem, illarum etiam cognitionem ab eo accipiamus oportet, *Io. c.14. nu. 16. c.15. nu.26. c.16. nu. 13.* hunc autem Dei ſpiritum ſi accipimus ex auditu fidei, *Apoſt. ad Gal. c.3. nu.2.* & auditus iſte fidei fit per verbum Ieſu Chriſti, ipſum quod eſt Patris verbũ, *Apoſt. ad Rom. d.c.10. nu.17. ad Heb. c.p. nu.1. & 2. Io.d.c.14. nu.24.* conſequenter etiã non per rationes naturales, ſed per verbum Patris illum accipiamus, & ab eo omnem diuinam ediſcamus veritatẽ, neceſſe eſt, *Act. Apoſt. c.11. nu.14. 15. 16. & 17. Io. d.c.16. nu. 13. & ſeqq. cum alijs ſuperius alleg.* Ideò Pater vt clarius manifeſtum faceret hanc diuini ſui audiendi verbi, & illi acquieſcendi neceſſitatem præcisè nobis imminere ſemper non ſolum ratione principiorum conſtitutionis adoptiuæ filiationis noſtræ, eo quia, vt ſuperius dictum fuit, ex eius diuini auditu verbi ſancta eius in nobis oritur fides, & ex eiuſdem fidei auditu ſanctus ſuus in nobis infunditur ſpiritus, quæ ambo vna ſunt conſtitutionis adoptiuæ filiationis noſtræ forma, ſed & conſeruationis illius, cum vtriuſque ipſorum ſit ipſa retentio: idcircò poſt decretum de diuino ſuo audiendo, & acceptando verbo, ſic, vt ſupra, per D. N. Ieſum Chriſtum declarato, cum eodem verba faciens decretum retentionis illius ſtatuens ſic, *Iſa. c. 59. nu.21.* ait: *Hoc eſt fœdus meum cum illis, vt ſpiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, ſicut non recedent de ore tuo, ſic nec de ore ſeminis tui, nec de ore ſeminis ſeminis tui amodo, & vſq; in ſempiternum*, ſi ergo Spiritus Sanctus, & verba illa in indiuiduo, quæ à Patre in ore Chriſti poſita fuerunt, & à Chriſto in ore ſeminis ſui, qui fuerunt Sancti Apoſtoli, & ab Apoſtolis in ore ſeminis ſeminis ſui, & ſic deinceps ordine ſucceſſiuo vſq; in ſempiternũ in ore cæterorum acceptantium illa permaneant, oportet, non puri conſequenter hominis, ſed Dei duntaxat accipiant in indiuiduo verba, neceſſe eſt, quia impoſſibile eſt, quod ab aliquo quid in indiuiduo retineatur, & conſeruetur, quod in indiuiduo ab eo non fuerit acceptum, & idem etiam ex textu *B. Io. p. c.2. nu.24. & 27.* in fine manifeſtè deducitur dicentis: *Si in vobis permanſerit, quod audiſtis ab initio, vos quoq; in Patre, & Filio manebitis*: Quid autem eſt hoc, quod ab initio

audi-

Digitized by Google

audiuerimus, cuius dicamur medio cum Patre, & Filio habere ſocietatem, niſi auditus verborum illorum, quæ originaliter à Patre accepta fuerũt, & à Domino noſtro Ieſu Chriſto eius filio ſuis Apoſtolis, & ab Apoſtolis ſuis nobis tradita fuerunt, ex quorum auditu in nobis fides oritur, & medio eiuſdem fidei ei deſponſamur, ei deſponſati eius dicimur habere, & vere habemus ſocietatem, quia eius in nobis manet ſpiritus, manens eius eſſe dicimur, & ſumus vere, *Apoſt. ad Rom. c. 10. nu. 17. c. 8. nu. 9. ad Eph. c. 3. nu. 17. ad Gal. c. 3. nu. 2. & 5. c. 2. nu. 20. 2. ad Cor. c. 11. nu. 2. c. 13. nu. 4. P. ad Theſſ. c. 3. nu. 8. ad Heb. dd. c. 3. nu. 18. & 19. c. 4. nu. 2. & 12. Io. dd. c. 6. nu. 45. & ſua P. c. p. nu. 3. Act. Apoſt. d. c. 11. nu. 14. 16. et 17. cum alijs ſuperius allegatis.* Per verbum verò Dei ſocietatis illius participes ſic, vt ſupra, facti in poſterum quoq; erimus, ſi hoc ſocietatis illius principium vſq; in finem retinuerimus, quod ipſa eſt verborum illius acceptio actu retenta, *Apoſt. ad Heb. c. 3. nu. 14. Io. d. c. 6. nu. 45. Iſa. dd. c. 54. nu. 13. et c. 59. nu. 21.* In quibus qui manent ex Deo, & filij Dei eſſe dicuntur, & ſunt verè, *Io. dd. c. 8. nu. 47. c. 15. nu. 3. c. 17. nu. 17. & ſua p. c. 3. nu. 2. c. 4. nu. 13. Apoſt. ad Rom. c. 8. nu. 9. 16. & 17. & alijs alleg. B.* propterea *Io. ſua p. c. 4. nu. 6. et 7.* infallibilem nobis volens demonſtrare viam ad diuinam perueniendi veritatem ait: quod, *verba Dei qui audire diligunt, ſpiritu ducuntur veritatis, & ad veritatem peruenient,* quia ſicut ſine ſpiritu veritatis ad veritatem perueniamus, impoſſibile eſt, ſic eius ductu ad eam non perueniamus, impoſſibile quoq; eſſe videtur: Primò quia, cum omne diuinum verbum ſit ipſa veritas, quæ exquirenti ſe ſe ipſam negare non poteſt, diuinum conſequenter verbum, qui exquirit, ipſam ſi exquirit veritatem, ad eam quoq; perueniat, conſequens eſſe dicitur, *Io. c. 8. nu. 46. et 47. c. 16. nu. 13. c. 17. nu. 7. 8. et 17. Eccl. c. 24. nu. 47. c. 33. nu 18. Apoſt. 2. ad Tim. c. 2. nu. 13. Sap. c. 6. nu. 12. & 27. Act. Apoſt. c. 8. nu. 28. & ſeqq.* Ea vero, qui non audiunt, ſpiritu ducuntur erroris, non mirum ſi ad veritatem non perueniant, quia veritas, & error ſunt exaduerſo contraria, & ſe inuicem oppugnant, & tollunt, *Io. P. d. c. 4 nu. 7. Apoſt. 2. ad Tim. c. 3. nu. 7. Ecc'. c. 33. nu. 15.* Secundò, quia verba Dei qui nolunt audire, ipſum dicuntur nolle audire Deum, Deum verò qui non volunt audire, erudiri non poſſunt, nam verbum Dei eis fit in opprobrium, prædicatores deludent, & Dei deridebũt verba, nec erubeſcent ab euangelizantibus exquirere, vt ſibi placentia prædicent, *Ezech. c. 3. nu. 7. c. 33. nu. 30. 31. et 32. Ier. c. 7. nu. 28. c. 6. nu. 10. Iſa. c. 30. nu. 10.* quam auditorum petulantiam,

tiam, & proteruitatem in ſpiritu prænidens, *Apoſt. 2. ad Tim. c.3. nu. 3.* ait: *Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt &c.* vt ſuperius dictum fuit. Si ergo auditores non, niſi diuino poſſunt erudiri verbo, vel Spiritus Sancti illuminatione, quæ ab ipſomet merè procedit, & pendet Deo, *Act. Apoſt. d. c. 11. nu. 17. Io. c. 14. nu. 26. c. 15. nu. 26. c. 16. nu. 13.* conſequenter etiam, eoſdem qui voluerint erudire auditores, eos diuino erudiant verbo, neceſſe eſt, *Deu. d. c. 18. nu. 18. et 19. Zach. c. 6. nu. 15. Oſe. c. 9. nu. 17. Mich. c. 5. nu. 14. Ezech. c. 3. nu. 17. et 27. Mar. c. 16. nu. 16. Io. c. 3. nu. 36. c. 6. nu. 45. cum alijs ſuperius allegatis,* quia diuinum verbum neceſſarium eſt diuinæ inueniendæ, & capeſſendæ veritatis medium à Deo electum; *Deut. d. c. 18. num. 18. et 19. Act. Apoſt. c. 3. nu 22. et 23. Apoſt. p. ad Cor. c. p. nu. 21. c. 9. nu. 16. c. 15. nu. 1. et 2. et 2. ad eoſdem c. 11. nu. 4. ad Gal. c. p. nu. 7. 8. 9. 11. et 12. Matt. c. 17. nu. 5. Mar. c. 9. nu. 6. Luc. c. 9. nu. 35. Io. c. 3. nu. 33. c. 6. nu. 39. et 45. & ſua p. c. 3. nu. 23. c. 5. nu. 9. Pet. 2. c. p. nu. 17. cum alijs alleg.* Cæterum eæ quæſitorum, ſeu quæſtionum de diuinis rebus determinationes à pura humana profectæ ſapientia vllo abſq; diuini teſtimonio verbi, vel radio illuminationis Spiritus Sancti, puræ cenſendæ ſunt opiniones quamquam probabilitate conſtent, & validiſſimis ſint vallatæ humanæ ſapientiæ rationibus, & periculoſæ adhuc exiſtimandæ ſunt, vſquequò ad heracleum hunc atterantur diuini lapidem verbi, vel illuminationis Spiritus Sancti, quorum vtriuſque, vel alterutrius attritu appareat, num illæ aurum, vel argentum ſint probũ, vel reprobum, vel lapides pretioſi, vel fictitij, quia ad diuinam ſtatuendam, vel eliciendam veritatem humanam hãc noſtram Deus reprobauit ſapientiam, & ſui elegit prædicationem verbi, *Apoſt. p. ad Cor. d. c. p. nu. 19. 20. & 21. c. 2. nu. 3. 4. et 5. c. 3. num. 19. et 20.* vt latius ſuperius dictum fuit. Tertio, quia ad prædicta puræ humanæ ſapientiæ nulla eſt concludens ratio, pura humana non ſufficit auctoritas, ſed diuina neceſſaria eſt, quia res diuinæ ſupra noſtræ ſunt omnes vires naturæ, ideo, quæ Dei ſunt, ſine Deo nec ſciri, nec percipi poſſunt, *Iſa. d. c. 64. nu. 4. Apoſt. p. ad Cor. c. 2. nu. 11.* non quod Deus vlli vnquam ſua deficiat beneficentia, quoniam ſicut vnctio eius quemq; docet, de omnibus eſt verũ, & non eſt mendacium, ſed ne noſtra extollamur præſumptione putantes has Dei ſublimitates noſtras eſſe virtutes, & ſic fructum noſtrorum perdamus laborum, *Eccl. c. 6. nu. 2. 3. et 4. cap. 37. nu. 3. c. 35. nu. 24. Apoſt. 2. ad Cor. c. 4. nu. 7. Io. p. c. 2. nu. 27. Act. Apoſt. c. 11. nu. 15.* etſi prædicta attentè contemplauerimus, cognoſcemus

etiam,

etiam, quod zelus quorumdam, qui præfatas inuentarunt opiniones, ita eos exagitauit earum tuendarum ſtudio, vt à contentionibus in hæreſim prolapſi ſint, quia vbi zelus, & contentio, ibi etiam eſt inconſtantia, & omne opus prauum, *Iac. c.3. nu.16. Act. Apoſt. c.6. num. 9. 10. & 11. Apoſt. 2. ad Tim. c.2. nu.14. 17. & 18.* diuinam propterea deſerentes, vt propriam exquirerent gloriã, turpiter in hæreſis incendium ſe proiecerunt, *Act. Apoſt. c.20. nu.30. Io.c.5. nu.44. & ſua p. c.2. nu.19. & ſecunda nu.9. Ier. c.7. nu.28. c.9. nu.23. et 24. c. 23. nu. 22. 28. 29. 30. 31. & 36. Apoſt. p. ad Cor. c.p. nu.31.* Quorum omnium Deus exprobrans ardorem zeli, *Iſa. c.50. num.11.* ait: *Vos omnes accendentes ignem,* hunc videlicet, *accincti flammis in lumine ambulate ignis veſtri, & in flammis, quas ſuccendiſtis, dormietis in doloribus*, huiuſmodi enim nouerunt omnes à manifeſta ſe recedere diuina veritate, & à recta deuiare via, proprias tamen vt exaltarent capitis adinuentiones ſanctã contempſerunt confeſſionem diuinæ veritatis, & hæreſim libentes amplexi ſunt, putantes ad eorum libitum, vnde receſſerant, reuerti poſſe, ſed huiuſmodi iniquitas eis extitit ſicut interruptio cadens, & requiſita in muro excelſo, quoniam, dum non ſperatur, veniet contritio eius, & comminuetur, ſicut conteritur lagena figuli contritione præualida ita, vt de fragmentis eius ne teſta quidem inueniatur, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum acquæ de fouea, *Iſa. c.30. nu.12. 13. & 14.* nam ſicut in diuinæ contemptu confeſſionis fidei propriam contempſerunt ſalutem, *Apoſt. ad Rom. c.10. nu.10.* ipſorum ſic iniquitas exaduerſo traducet eos, & in die agnitionis inflatos ſine voce diſrumpet, quoniam *per quæ peccat quis, per ea & torquetur, Sap. c.3. nu.18. et 19. c.4. nu.19. et 20. c.11. nu.17.*

Hinc manifeſtè patet, quod ab hac exaduerſo contraria ei, à Deo quæ nobis tradita, & tot ſanctis commonitionibus commendata fuit, diuina docendi, & ediſcendi methodo vniuerſæ, in mundo quæ extiterunt, ac ſunt, ſcatuerunt hæreſes, vt ex quamplurimis poſſet demonſtrari exemplis, quorum vnum duntaxat recenſere ſat eſſe exiſtimauimus, ne prolixior, quam decet, noſter fiat ſermo.

Digitized by Google

De vno ex ijs exceſſibus, qui à præfata in mundum emerſerunt cauſa, hoc ſic demonſtrando exemplo. Cap. V.

CVm ergo ea, quæ dixit Deus, in ipſa non facta fuerint, vel fiant natura, impoſſibile ſit, cur in Euchariſtici confectione Sacramenti, ſi Chriſtus dixit pani: *Hoc eſt corpus meum*: & vino: *Hic eſt ſanguis meus*, huiuſmodi panis,& vinum in ſuum verum non erunt tranſlata corpus, & ſanguinem in ſui paſſi corporis, & ſanguinis effuſi commemorationem pro integro ei offerendo, vt ipſe dixit, ſacrificio, quemadmodum à ſacroſancta docemur Eccleſia: ſi dicens fiat terra, fiat cœlum, ſol, luna, ſtellæ, & lumen, & cuncta in ipſa, quæ ſunt creata natura, ex nihilo confeſtim emerſerunt omnia, *Gen. c. p. per totum.* Nonne maius eſt, ex nihilo aliquid educere, quam ex aliquo aliquid efficere, vel aliquod in aliud tranſmutare: nam in ipſa etſi creata natura re vera ex nihilo nihil fiat, fieri vel valeat, in ea tamen ex humano ſemine plaſmatur homo, & in hominem humanum euehitur ſemen, & ex vno corrupto, & emortuo tritici grano, plura erumpunt alia tritici grana, *Io. c. 3. nu. 4. c. 12. nu. 24 et 25. Apoſt. p. ad Cor. c. 15. nu. 36. 37. & 38.* figuluſq; ex vaſe vno efficit vas alterum, ſicut ei placet, *Ier. c. 18. nu. 3. et 4.* lignumq; ſub terra in viribus lapideſcit naturæ, & lapis ſolutus calore in æs vertitur, *Iob c. 28. nu. 2.* paniſq; & vinum quotidie in carnem, & ſanguinem naturali tranſmutantur calore, cur, alijs qui generationem, & alias, quas ſuperius diximus, tribuit virtutes, ſterilis, & infœcundus erit? *Iſa. c. 66. nu. 9.* & ex creandis tritici granis, quod ſibi placet, vnicuiq; dat in verbo ſuo corpus, pani verò id, quod voluerit, ſuo non dabit verbo? *Apoſt. p. ad Cor. c. 15. nu. 37. 38. et c. 11. nu. 24. et 29.* & qui figulum fecit, quod figulus facit, facere non poterit? *Ier. d. c. 18. nu. 6. Eccl. c. 33. nu. 13. Iſa. c. 45. nu. 9. et 10.* aut humanus calor eo efficacior erit, qui creauit illum? vel ſuo natura conditore potentior erit? vel vniuerſam qui ſuo perfecit naturam verbo, eodem ſuo non faciet verbo, quod ipſa ex ſe natura facit? vel eius eſt forſan abbreuiata, vel paruula facta manus, aut infirmata virtus, vt quod alias fecit, modo facere non valeat? *Num. c. 11. nu. 23. Iſa. c. 59. nu. 2. c. 59. nu. p.* Si vero poteſt, & ſic eſſe dixit, cur etiam non erit, ſi ille mentiri non poteſt, *Num. c. 23. nu. 19. Apoſt. ad Heb. c. 6. nu. 18.* etſi credimus, & confitemur, quod D. N. Ieſus Chriſtus ſuo poſſit verbo ex lapidibus filios, ſicut ſcriptum eſt, ſuſcitare Abrahæ, *Mat. c. 3. nu. 9.* cur, à Chriſto nomen qui ſumũt,

non

non etiam omnes credent, & confitebuntur, quod ex dicto pane, & vino ſuum verum corpus, & ſanguinem, ſicut pariter ſcriptum eſt, ſuo ſuſcitare verè potuerit, & ſuſcitauerit verbo? *Apoſt. p. ad Cor. d. c.11.nu.24. et 29. Io. c.10. nu.35. Iſa. c.34. nu.16.* Numquid ipſo erunt peruicaciores diabolo, qui equidem non dubitauit, quin, ſi is, quem ipſe tentabat, verus fuiſſet Dei filius, lapides illos, quos ei oſtendebat, ſuo in panem conuerſurus eſſet verbo? *Mat. cap.4. nu.3. Luc. eodem c.4. nu.3.* Hi forſan ſic ratiocinantes dicent, validiſſimis ita perſuademur aſſerere rationibus, quia etiam poſt abſolutionem formæ huius Euchariſtici Sacramenti æquè, ac prius eumdem hiſce noſtris ſenſibus percipimus odorē, ſaporem, & ſpeciem panis, & vini, ipſaq; euidentia, qua nulla efficacior dicitur eſſe probatio, ita nobis eſſe comprobatum manet: Nonne man, quod Hebræis in deſerto pluit Deus, panis, & aliorum quorumcumq; ciborum pro deſiderio comedentis, ſaporem, & odorem obtinuit? propter hoc tamen nullus vnquam eam, quam à Deo verbo ſuo ſortitum fuerat, negauit habuiſſe ſubſtantiam, *Sap. c.16. nu.20. et 21. Exod. c.16. nu.4. 8. 12. & 15. Num. c.11. nu.7. Deut. c.8. nu.3. Ioſ. c.5. nu. 12. Pſal. 77. nu. 24.* cur Chriſtianus homo propter eumdem ſaporem, & odorem, & apparentiam panis, & vini ſanctiſſimam verbo Dei confectam negabit tranſubſtantiationem? etſi opticæ miniſterio artis in humanis multa nobis affabrè proponuntur, quæ noſtro adeò diuerſa, ac re ipſa ſunt, conſpectui apparent, ob huiuſmodi tamen apparentiam nullus, quæ, & qualia realiter ſunt, eſſe negabit, cur in diuinis ſi ſub ſpecie panis, & vini ſuum D.N. Ieſus Chriſtus traſubſtantiatum corpus, & ſanguinem nobis præbuerit, negauerit homo verum illius eſſe corpus, & ſanguinē ex eo, quod ſenſibus noſtris non corpus, ſed panis; non ſanguis, ſed vinum eſſe videatur? proprietatum inſuper, & qualitatum phyſicarum rerum incompetentiæ non ſolum non diuinarum, ſed neq; etiam ſæcularium ſunt variandarum, ſeù terminandarum ſubſtantiarum neceſſaria media, nam quoties igni non exurendi, aquæ ignem non extinguendi, vmbræ retrocedendi, aſinæ loquendi, & ſimiles huiuſmodi viſæ ſunt incōpetentes proprietates, & qualitates alienis acceſſiſſe ſubſtantijs, propter hoc tamē vel hunc ignem, vel illam aquam, vmbram, aſinam eſſe negauit nullus, *Sap. c.16. nu.18. 19. 22. 23. c.19. nu.18. 19. 20. Num. d. c.22. nu.28. 29. et 30. Pet. 2. c.2. nu. 16. Iſa. c.38. nu. 8.* cur Chriſtianus vir propter incompetentiam qualitatum illarum ſaporis, odoris, & apparentiæ illius panis, & vini, ſub qua etiam

Digitized by Google

poſt tranſubſtantiationem ſenſibus noſtris apparet, quaſi illius ſint terminandæ ſubſtantiæ neceſſaria media audebit inferendo aſſirmare illud verum non eſſe Chriſti corpus, atq; verum eius non eſſe ſanguinem? illatio prætereà ab euidentia rei deducta in diuinis fallax eſt, & ſuggeſtiua poteſt eſſe mendacij, & à diaboli ſagacitate, & aſtutia originem ſumpſit, & humani noſtri fuit initium lapſus, & æternæ noſtræ cauſa mortis, & eius nos medio perſeueranter fallere tentat, quia euidentia rei noſtræ eſt exaduerſo contraria fidei, per quā Deus elegit ſaluos facere credentes, ab ipſaq; euidentia, & originale deſcendit peccatum, & ille in nobis propagatus eſt fomes, in quo actuale facilè incenditur peccatum. Volens enim Deus Adam primum parentem noſtrum ſuper fundamentum conſtabilire fidei, quæ verbo eſt vlla abſq; hæſitatione credere Dei, viam illi oſtendens æternæ vitæ dixit: *De ligno ſcientiæ boni, & mali ne comedas, quia in quacumq; hora de illo comederis morte morieris, Gen. c. 2. nu.* 17. Adam de eo comedit, & ſtatim, vt ei à Deo pronunciatum fuit, mortuus eſt, ſed eius mors tunc euidenter non apparuit, quia dum in hoc ſæculo conuerſamur non per ſpecies ſenſibus noſtris apparentes, ſed per fidem ſemper ambulemus oportet, *Apoſt.* 2. *ad Cor. c.* 5. *nu.* 7. *P. ad Tim. c.p. nu.* 19. Diabolus vero exaduerſo primos parentes noſtros ad infidelitatem, & conſequenter ad æternam eorum damnationem ſua volens inducere fallacia cum argumento ab euidentia rei deducto, vt eos errare, & in errore perſeuerare doceret ſic inſurgens ait: *Nequaquam moriemini, ſed in quacumq; hora de eo comederitis aperientur oculi veſtri, & cognoſcetis bonum, & malum*: commederunt, & aperti ſunt oculi eorum, & innocentiam, quam perdiderant, cognouerunt, quæ erat bonum non perdendum, & ſuam viderunt nuditatem ab illorum detectam culpa, quæ erat malum non incurrendum. Cuiuſnam ergo argumentatio, ſeu illatio bona, vera, ac tuta fuit illa Dei ab inuiſibilium fide, an illa Diaboli ab euidentia rei? Illa Dei fuit perſuaſio fidei, & conſequenter via ſalutis, & æternæ vitæ, & exempli à nobis perpetuò ſectandi, iſta vero ſeductio, & conſequenter via damnationis, & exempli perpetuo vitandi, Dæmon ergo per inanes ſophiſtarum fallacias nos ſemper ſeducere tentat, vt in antiquo ſeductionis ſuæ laqueo captiuos nos detineat, *Apoſt. ad Coloſ. d.c.* 2. *nu.* 8. *P. ad Tim. c.* 4. *nu. p. c.* 5. *nu.* 3. *et* 4. *&* 2. *ad eumdem c.* 2. *nu.* 17. *Pet.* 2. *c.* 3. *nu.* 4. & ſic, ac multò magis faciet in nouiſſimis diebus, *Iſa. c.* 10. *nu.* 13. *Dan. c.* 8. *nu.* 23. *c.* 11. *nu.* 36. *Apoc. c.* 13. *nu.* 5. ab euidentia igitur à ſenſibus deſumpta in rebus diuinis

uinis

Digitized by Google

uinis concludi neceſſario nihil poteſt, quia diuinæ res ſi ſenſibus percipi non poſſunt, *Iſa. c. 64. nu.4. Apoſt. p. ad Cor. c. 2. nu.9. et* 11. ſenſibus nec etiam iudicari valeant, conſequens eſt, *Io. c.7. nu. 24. c.8. nu.* 15. quia, quamdiù in hoc ſæculo moramur, vult Deus, vt non per ſpecies ſenſibus noſtris apparētes, ſed per fidem ſemper ambulemus, *quæ*, vt ſuperius dictum fuit, *ſperandarum eſt ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium, Apoſt. 2. ad Cor. c.5. nu.7. ad Heb. c.11. nu.p.* Sperandæ verò res ſunt illæ, quæ videri non poſſunt, ideſt inuiſibiles ſunt, *Apoſt. ad Rom. c.8. nu.24. & 25.* ſi autem inuiſibiles ſunt, quomodo quis eas ſenſibus percipere, & iudicare poterit, vel poteſt, etſi ergò odorem, ſaporem, & ſpeciem percipias panis, & vini propter hoc tranſubſtantiationem negare non potes, nec debes, quia obiecta fidei non manibus contrectanda, ſed mente firmiter credenda ſunt, *Iſa. d. c.64. nu.4. & Apoſt. vbi ſup.* Sacramenta prætereà omnia à Domino noſtro inſtituta rebus conſtant myſticis; quarum gratia myſteria quoq; appellata ſunt, res verò, ex quibus conſtant, partim viſibiles ſunt, partim inuiſibiles: viſibiles ſunt ſigna, & argumenta eorum, quæ inuiſibiliter in ipſis aguntur illorum mediante forma: Verbi gratia in Sacramento baptiſmatis videmus aqua elementari ablui caput baptizati à miniſtro exprimente verba formæ iſtius Sacramenti, videlicet: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti. Amen.* Externa ideò illa aquæ ablutio eſt argumentum, & ſignum internæ abſterſionis animæ noſtræ ab omni ſorde, & macula peccati aquis gratiæ factæ, & regenerationis noſtræ in dilectos Dei filios per merita paſſionis D. N. Ieſu Chriſti, & Spiritus Sancti virtute. Quæ verò diximus eſſe ſigna, & argumenta eorum, quæ non videmus, cum ſenſibus noſtris extrinſecus pateant, per ſe nō propriè credi, ſed ſciri dicuntur, quia, quæ, & qualia ſunt, & noſtro percipimus intellectu; & ſenſui manifeſta ſunt, quæ verò virtute formæ in ipſo inuiſibiliter actu conficiuntur, credi quidē, ſciri autē nullo modo poſſunt, niſi ea certitudine, quæ in ipſa clauditur fide, & virtute manifeſtatur Spiritus Sancti, hæc autem ſi & ipſa viſibilia fieri poſſent, atq; actualiter fierent, arcana nec eſſent, myſteria dici nec poſſent, cū in ipſis nequidquam ſignificatiuū, vel ſignificatū reſpectiuè daretur, ſed omnia æquè clara, vno, & eodē modo manifeſta, & aperta eſſent, noſtræq; conſequenter non eſſent ſubiecta apta fidei, quia *fides*, vt ſuperius dictū fuit, *ſperandarum eſt ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium, Apoſt. ad Heb. c.*11. *nu. p.* ſperandæ verò res eæ ſunt, quæ ſub ipſa manent inuiſibilitate, nam

nam quod videt quis, quid ſperat? Spes vero, quæ videtur, non eſt ſpes, ſperandarum ergo ſubſtantia rerum ipſa eſt, inuiſibilitas, ſub cuius obſcuritatis caligine res latentes nobis credendæ proponuntur in verbo Dei, cui noſtrum fidenter ſubijcientes intellectum illud firmiter credentes æternam continere veritatem, eis illa non obſtante acquieſcimus, res ergo huiuſmodi dum ſub ipſa latent inuiſibilitate, eas credere poſſumus, ac dicimur, & credimus verè, ea verò de medio ſublata, non amplius eas credere dicimur, ſed videre, & videmus verè, ſicut ab alijs nos videmur, *Apoſt. ad Rom. d. c. 8. num. 24. P. ad Cor. c. 13. nu. 12.* inuiſibilitas igitur contentorum in ipſis ſacramentis eſt myſterij, & arcanitatis illorum, ac noſtræ erga ea correſpectiua fidei ſubſtantia, ipſumq; à Deo nobis propoſitum propter illam meritum, internumq; meriti noſtri obiectum, *Apoſt. ad Heb. c. 11. nu. 6. & 7. vſq; ad fin. cap. Ad Rom. c. 4. nu. 18. 19. 21. & 22.*

Care ergo, & admonende frater: care quidem propter ſpem, & deſiderium, quæ tuæ foueo conuerſionis: admonende verò in Chriſto, quia ſacroſancta Eccleſia, extra quam te ſaluum eſſe non poſſe, & cognoſcis, & confiteris, in errore te eſſe declarauit, & monuit: frater verò non in errore, quoniam illum ſemper abhorrui, & deteſtatus ſum diuino fauore, & gratia, vtinam & tù ſic feciſſes, ſed in baptiſmate, quo abluti fuimus, care ergo, qui falſæ obuolutus laqueis doctrinæ Euchariſticam negas tranſubſtantiationem ob odorem, & ſaporem illum, viſibilemq; panis, & vini ſpeciem remanentem, ſeu remanentia poſt ſacramentalis formæ ipſius abſolutionem, quomodo ex præmiſſis quæſo non contemplas, & percipis, quod ſi illa auferretur ſpeciei panis, & vini viſibilitas cum ſuis qualitatibus, quæ arcanitatis, & myſterij incomprehenſibilis illius Sacramenti eſt ſignum, & argumentum, ac localis terminus, intra quem noſcimus verum contineri corpus, & ſanguinem D. N. Ieſu Chriſti cum diuinitate in indiuiſibili totius Sanctiſſimæ Triadis vnitate, non cognoſceremus vbi localiter conſtitutum eſſet in hoc Sacramento ſanctiſſimum Chriſti corpus, nec ſciremus vbi, vel in qua parte illud adoraremus, nec, haberemus, in quo, quomodo, vel quando illud ſumeremus: ſi autem loco panis ibi Chriſtum, prout eſt, realiter apparere velles, myſterij, & arcanitatis illius ſubſtantiam deſtrueres, in eoq; noſtræ ſubiectum, & meritum extingueres fidei, quæ, vt ſuperius diximus, in ipſa ſunt conſtituta rerum inuiſibilitate ſub ſpecie illa velatarum, tibiq; quod impoſſibile eſt, proponis, quia diuinitatem in illo Sacramento con-

tentam

Digitized by Google

tentam videre nemo poteſt, *Exod. c.33. nu.20. Io. c.5. nu. 37. & ſua p. c.4. nu.12. Apoſt. p. ad Tim. c.6. nu.16.* Dices forſan mihi ſat eſſet, quod panem illum in hominem conuerſum viderem, & tunc crederem; hallucinaris frater mi, hallucinaris certè, ſi non potes credere, quod panis ille verbo Dei caro fiat, quomodo crederes, quod panis ille homo factus, Chriſtus eſſet? nam fidem ſi non præſtas Chriſto diſcipulis ſuis dicenti: *Sumite hunc omnes panem: Hoc eſt corpus meum: & hoc omnes vinum. Hic eſt ſanguis meus*: & ne vlla vnquam dubitatio menti noſtræ offerretur veritatis Sanctiſſimæ tranſubſtantiationis huius, eumdem proſequens ſermonem de reali corpore, & ſanguine ſuo ſenſiſſe manifeſtè declarauit, dicens: *Quod pro vobis tradetur: Et qui pro vobis effundetur in remiſſionem peccatorum*, per quæ relatiua enunciatum corpus ad id præcisè reſtringitur, quod pro ſalute noſtra traditum fuit, & ſanguis ille ad eum in indiuiduo, qui effuſus fuit ab eo in remiſſionem peccatorum noſtrorum, ad quæ neceſſariam habent relationem, quod, & qui reale, & verum fuit corpus, & ſanguis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, quia non aliud corpus, nec alius ſanguis, quã ipſius pro ſalute noſtra traditum, & effuſus fuit, vt & tù ipſe confiteris, & ſenſum hunc in illo textu neceſſariò colligendum eſſe negare non poteris. In ſanctiſſimo ergo hoc Euchariſtico Sacramento non figuratiuè (vt tù malè inſtructus fuiſti) ſed realiter, & eſſentialiter continetur verum corpus, & ſanguis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, ex illo pane, & vino tranſubſtantiata. *Mat. c.26. nu.28. Mar. c.14. nu. 24. Luc. c.22. nu.19. Apoſt. p. ad Cor. c.10. nu.16. c.11. nu.24. & 29.* Si ei ergo hoc, quod negari non poteſt, non credis, quomodo illi crederes, ſi dixiſſet, (prout tibimet ipſi fingis): Hunc omnes ſumite hominem ex iſto pane tranſubſtantiatum, quia ego ille ſum: & rurſus ad eaſdem conuerſus phyſicas rationes non diceres: Manibus quomodo ſuis hominem porrigens illis alterum, ipſe dans, & datus eſſe poteſt, vni quomodo integer datur, ab alio etiam integer ſumitur, & cætera huiuſmodi humanæ ſapientiæ deliramenta, quæ ad diuina demonſtranda natura ſua nullam aptitudinem, vel virtutem habent. Omnipotenti, frater mi, nihil eſt impoſſibile, arduum, vel difficile, ſi omnipotens eſt, omnia etiam poteſt: ſi omnia eius verba ſunt veritas, vera ſint omnia conſequens eſt, ea ergo ſiuè intelligas, ſiuè ea non intelligas, ſiue poſſibilia, ſiue impoſſibilia tibi eſſe videantur, ſemper vera erunt, tua exiſtimatio, iudicium tuum eis nihil confert, vel addit, vel detrahit: Si Deus non poſſet, niſi quæ tù poſſibilia exiſtimas

Digitized by Google

mas non omnipotens, ſed valdè impotens eſſet, ſi ea tantum ſciret, & noſceret, quæ tù, & miniſtri tui, etſi philoſophi ſint, nouiſtis: infirma, non infinita eſſet ſapientia eius; ſi non plus nos diligeret, quam tù te ipſum diligis, qui in infidelitate tua ſpontè permanere volẽs te odiendo tibimet ipſi non parcis, te ipſum condemnas, & deſpicis, væ tibi, væ nobis, væ omni creaturæ ſuæ, ſed ſuus verè infinitus eſt amor. *Gen. c.18. nu.14. c.35. nu.11. Sap. c.11. nu.24. & ſeq. vſq; ad fin cap. Eccleſ. c.3. nu. 14. Eccl. c.18. nu.5. c.42. nu.21. Iſa. c.43. nu.13.* te ideò iterum recipiet, ſi in incredulitate non permanſeris, *Apoſt. ad Rom. c. 11. nu. 23. Ad Eph. c.5. nu.14.* Ipſe ergo ſi omnipotens eſt, hoc cur facere non poteſt? ſi ſuper omnia opera ſua perpetuò ſupereſt, cur corpus vnum in aliud tranſmutare non poteſt? *Eccl. c.43. nu.30. & 31. Iob c.23. nu. 13.* Si cælum, & terram implet, locum cur non implebit panis iſtius, quem verbo ſuo omnipotenti in ſuum iuſſit tranſmutari corpus? in quo tanquam in ſole ipſe, qui lux eſt vera, æternum poſuit tabernaculum ſuum, *Ier. c.33. nu.24. Pſal. 18. nu.6. Io. c.p. num. 9.* Si mendacium nullum, iniquitas nulla in eo eſt, eſſeue poteſt, ſiq; ſemper verax eſt, ſi pani huic dixit: *Hoc eſt corpus meum*: vino: *Hic eſt ſanguis meus*, ei credas, quoniam non te decipiet, quia *fidelis eſt in omnibus verbis ſuis, ſanctus in omnibus operibus ſuis*, *Deut. c.32. nu.4. Num. c.23. nu.19. Pſal. 91. nu.16. Pſal. 144. nu.13. & 17. Ier. c. 2. nu. 5. Mich. c.6. nu. 3. Io. c.3. nu.33. c.8. nu.14. & 16. Apoſt. ad Rom. c.3. nu.4.* Si æterna ſua omnia ſunt condita, & perſeuerant prouidentia ei libens acquieſcas, quia qui voluntariè illi acquieſcere noluerunt vinculis tenebrarum, & longæ noctis compediti fugitiui ſuæ perpetuę captiui iacuerunt prouidentiæ, *Sap. c.17. nu.2.* Si ei ſic placuit, ſi ſic locutus eſt, ei ne contradicas, loquentem ne recuſes, quia væ ei, qui contradicit factori ſuo, omnem enim linguam ei reſiſtentem in iudicio iudicabit, *Iſa. c. 45. nu.9. et 25. c.54. nu.17. Eſther. c.13. nu.9. Apoſt. ad Heb. c.12. nu.25.* Quinam enim nos ſumus, vt opera Dei arguamus? *numquid dicet lutum figulo ſuo, quid facis? opus tuum imperfectum eſt? aut figmentum dicet ei, qui ſe finxit, quid ſic hoc feciſti? Iſa. d.c.45. nu.9. Ier. c.18. nu.6. Apoſt. ad Rom. c.9. nu.20. Sap. cap.12. nu.12. Iob c.40. nu.3.* Anne ipſe de operibus ſuis nobis rationem reddere tenetur? eam vel nos ab eo temerè exigemus? Deus, an homines ſumus? ſi væ imminet ei, qui patri dicit: quid generas? quale imminet ei, qui factori ſuo dicit, ſi ſic locutus eſſes, verbo tuo crederem? *Iſa. d.c.45. nu.10. Io. c.2. nu.18. c.6. nu.30. Luc. c.23. nu.39. Mat. c.16. nu.4. Sap. c.p. nu.2. 5. Pſal. 118. nu.118.*

Mala.

Digitized by Google

Mala. c.3. nu.15. Act. Apoſt. c.4. num. 19. Si confiteris, quod per receptionem Sacramenti ſanctiſſimi baptiſmatis ex immundis mundi, ex iniuſtis, & peccatoribus iuſti, & ſancti, ex filijs iræ, & diaboli filij Dei efficimur, quæ eſſentiæ ſunt ſibi inuicem exaduerſo contrariæ, & repugnantes, & quamquam nihil in te, vel in alijs ab eo, quod fueras, vel fueramus ante receptionem dicti Sacramenti re immutatum videas, propter hoc tamen per illud præfata in nobis operari, & ita eſſe non denegas, cur tranſubſtantiationē negabis, eo quod illā viſibiliter non conſpicias? quod enim in omnibus intellectus tui viribus in te, & in æqualibus tuis cōſpicere non vales, in Deo conſpicere velle non erubeſces? etſi, in vno quod admittis Sacramento, in alio reijcis, nonne præuaricatorem te ipſum conſtituis? *Apoſt. ad Gal. c.2. nu. 18. Eccleſ. c.9. nu.2.* ſcis frater mi, cur iſta non intelligas? quia, ſanis qui non acquieſcit Domini Noſtri Ieſu Chriſti ſermonibus nihil ſciens eſt, *Apoſt. p. ad Tim. c.6. nu. 3.* Diuina enim non prius intelligere poſſumus, quam diuino acquieuerimus verbo, *Zach. c.6. nu.15. Apoſt. 2. ad Cor. c.3. nu. 15.* quia fides eſt illorum intellectus principium, & fidei principium diuino eſt acquieſcere verbo, *Apoſt. 2. ad Cor. d. c.3. num. 15. ad Heb. c.11. nu.3. c.4. nu.2. ad Rom. c.10. nu. 17. Ezech. c.2. nu.7. c.3. nu.11. & 27. Pſal. 118. nu.66. Eccl. c.34. nu. 8. cum alijs ſuperius alleg.* quomodo ergo cognoſcere vis, an euangelicum hoc verbum verum, & ex Deo ſit, niſi ſuam prius volueris facere voluntatem, quæ eſt, vt ſuo acquieſcas verbo, *Io. cap.7. nu.17. c.6. nu.29. c.5. nu.46. & 47.* credas igitur, & auferetur velamen ab oculis tuis, & reuelata facie gloriam Dei ſpeculans de veritate in veritatem in eamdem transformaberis claritatis imaginem, *Apoſt. 2. ad Cor. c.3. nu. 16. & 18.* oportet ergo, vt à ſomno erroris tui exurgas, & illuminabit te Chriſtus, *Apoſt. ad Eph. c.5. nu.14.* & tunc clarè cognoſces, quod opera eius recta ſunt in fide, *Pſal. 32. nu.4. Sap. cap.3. nu.9.* & quod veri, & iuſti ſunt omnes ſermones eius, & quod in eis non eſt quid prauum, ſed veri, & recti intelligentibus, & æqui inuenientibus eorum ſcientiam, quam non per phyſicas rationes, ſed per ipſam inuenimus fidem, propterea in ore fidelium complanata eſſe dicitur, *Prou. cap. 8. nu.8. & 9. Apoſt. 2. ad Cor. d. c.3. nu.16. ad Heb. d. c.11. nu.3. Eccl. d. c. 34. num.8.* Quamdiu enim quis in infidelitate permanet, omnia Dei verba ei ſunt in opprobrium, & ſcandalum, *Ier. c.6. nu.10. Apoſt. p. ad Cor. cap. p. nu. 18. & 23.* eorumq; ſenſus prauus, & non rectus, *Io. cap.10. num. 20.* ideò ipſorum ridiculæ expoſitiones, *Act. Apoſt. c.2. nu. 11. & 13. Io. c.12. nu.28.*

Digitized by Google

*nu.*28. *et* 29. nec mirum videri debet, quia, diuino qui non acquieſcunt verbo, inſipientia replentur, *Luc. c.6.nu.*11. *Apoſt. p.ad Tim. d. c.* 6. *nu.*4. propterea quæcumq; ignorant, blaſphemant, *Iud. ſua vnica nu.* 10. *Io. c.*8. *nu.*22. lumine enim carentes fidei non offendant, impoſſibile eſt, *Io. c.*11. *nu.*10. *c.* 10. *nu.*35. quo carent omnes, eius qui non acquieſcunt verbo, immo (quod tamen tua pace ſit dictum, quia tuam exquiro fidem, & cum fide ſalutem) cum ſuperbi ſint, *Apoſt. p. ad Tim. d. c.6. nu.*3. *&* 4. & ſuperborum natura, ſeù potius maledictio (quia vitia non natura, ſed maledictione conſtant, quia abyſſi ſunt genimina, *Eccl. c.* 10. *nu.*22. *Iob c.* 41. *nu.* 25.) ſit ipſe auditus grauis, *Eccl. c.*27. *nu.*16. quod ea non intelligant, nec tibimet ipſi mirum videri debet, quia, quod impoſſibilia fieri non poſſint, ignorat nullus, ſuperbia ideò cum ſuper omnia ſemper turgida ſe euehat, ſicut circumferentia deorſum flectatur, & locum occupet centri, impoſſibile eſt, ſic, quod ſuperbus humilitatem induat, vlli acquieſcat, alteri ſe ſubijciat, etiam impoſſibile eſt, immo potius, quod ſibi acquieſcant, & ſubijciantur omnes affectabit, & contendet, quia talis eſt maledictio, ne dicam natura, ſuperbi, *Iob c.* 41. *nu.*15. *Pſal.* 118. *nu.*70. *Io. c.*8. *nu.*44. Dominus propterea noſter Ieſus Chriſtus Hebræis iam in ſuperbiam erectis, eo quod noluiſſent ſuis acquieſcere verbis, *Io. d.c.*8. *nu.* 43. ait: *Quare loquellam meam non cognoſcitis?* interrogationi verò ſuæ quaſi cauſam reddens reſpondit dicens: *Quia non poteſtis audire ſermonem meum*: huius autem ratio impotentiæ eſt, quia ſuperborum auditus ita grauis eſt, vt intelligere non valeant: ex antecedenti igitur neceſſario ſuperbiam prius quis exuat, quam intelligat, oportet, quam exuit, ſi diuino fidenter acquieſcat verbo, & fideli ſe ſubijciat inſtitutori, quia hoc facere humilitatis eſt actus, ſuperbia enim, & humilitas, cum ſint ſibi exaduerſo contrariæ, ſe perpetuò oppugnant, & inuicem tollunt, idcirco, vbi eſt ſuperbia, ibi humilitas eſſe non poteſt, *Eccl. c.*13. *nu.*24. *c.*33. *nu.* 15. vt ergo humilitas ſubintret, ſuperbia expellatur, oportet, diuino ergo acquieſcas verbo, & clarè cognoſces, quod falſa imbutus fuiſti doctrina, quam introduxit ſuperbus, vt poſt ſe multos adduceret diſcipulos, *Act. Apoſt. c.*20. *nu.*30. in ſuam, & illorum æternam damnationem. Dices forſan illum idololatriæ horreſco actum, in quem præceptor meus vos incurrere me docuit ſumentes, & adorantes panem, & vinum pro corpore, & ſanguine Domini Ieſu Chriſti, propter quem vos & ab ipſa Chriſti receſſiſſe Eccleſia, & extra eam adhuc commorari puto. Verba ergo

Dei

Dei Patris, qui Deus eſt veritatis, & cuius verba omnia ſunt veritas, negare non erubeſcis, *Pſal.* 30. *num.* 6. *Io.cap.* 17. *nu.* 17. *Deut. c.* 18. *num.* 19. *Act. Apoſt. cap.* 13. *num.* 46. filium Patris verba loquentem, qui & ipſe ipſa eſt veritas, recuſare non times, *Io.cap.* 3. *num.* 18. *et* 36. *cap.* 14. *num.* 6. *&* *ſecunda ſua num.* 9. *Act. Apoſt. cap.* 4. *num.* 11. *&* 12. *Apoſt.* 2. *ad Cor. c.* 11. *nu.* 4. *ad Gal. c. p. nu.* 6. 8. 9. 11. *&* 12. *ad Heb. c.* 12. *num.* 25. lumini Spiritus Sancti, qui ſpiritus eſt veritatis nos docens omnem veritatem, rebellem te præbere non vereris, *Iob c.* 24. *nu.* 13. *Io. c.* 14. *nu.* 26. *c.* 15. *nu.* 26. *c.* 16. *nu.* 13. Sanctas Eccleſiæ Dei traditiones, & commonitiones, quæ columna eſt veritatis, & omnium fidelium amantiſſima Mater, extra quam ſaluus nemo eſſe poteſt, *Apoſt.* 2. *ad Tim. c.* 3. *nu.* 15. *Iſa. c.* 60. *nu.* 12. *Io. c.* 14. *nu.* 16. *et* 17. *c.* 16. *nu.* 13. *c.* 17. *nu.* 11. 21. *et* 22. *et ſua p. c.* 2. *nu.* 27. contemnere, & repellere non metuis, & à verbis præceptoris tui te à vera auellentis fide, & à Chriſti corpore te ſegregantis, & in profundum inferni te demergere conantis aures auertere times? Homo ergo ſenſatus Deo Patri noſtro, Eccleſiæ Dei legitimæ fidelium omnium Matri, legitimiſque Miniſtris à Deo in ea conſtitutis non credet, & ſuimet ipſius proditori ſe ipſum credet? Nonne verba, & doctrina filij ipſamet ſunt verba, & doctrina Patris, & diuina vtriuſq; ipſorum eſt vna voluntas, vt à malo recedamus, & bona ſequamur? *Deut.* . *c.* 18. *nu.* 18. *et* 19. *Io. c.* 5. *n.* 24. *et* 30. *c.* 7. *nu.* 16. *c.* 8. *nu.* 40. *c.* 12. *nu.* 49. *et* 50. *c.* 14. *n.* 24. *c.* 17. *nu.* 8. 14. *Apoſt. ad Heb. c. p. nu.* 2. *Pſal.* 96. *nu.* 10. Sicut ergo quando actum fuit de idololatria vitanda Pater nihil omnino prætermiſit, per quod non ſolum ab illius nos auerteret operatione, ſed & ea, per quæ illius poſſemus habere memoriam, *Exod. c.* 23. *nu.* 33. *c.* 34. *à nu.* 12. *ad* 17. *Deut. c.* 4. *nu.* 16. *&* 19. *c.* 7. *nu.* 2. 3. 4. *et* 5. ita etiam feciſſet D. N. I. Chriſtus, verumtamen, quando egit de huius tranſubſtantiatione panis, & vini, mediante forma illius Sacramenti in ſuum verum corpus, & ſanguinem, quid non fecit, quid non dixit, quibus non eſt vſus argumentis, & rationibus, vt ad ita credendum plenè perſuaderemur non tantum ante inſtitutionem præfati Sacramenti, vt patet, *Io. c.* 6. *à nu.* 32. *ad* 60. ſed & in ipſius inſtitutionis actu, *Mat. c.* 26. *nu.* 26. *et* 27. *Mar. c.* 14. *nu.* 22. 23. *et* 24. *Luc. c.* 22. *nu.* 19. *&* 20. ac etiam poſt illius inſtitutionem lumine Spiritus Sancti nos ita edocens, & illuminans, *Apoſt. p. ad Cor. c.* 11. *nu.* 23. 24. 25. 27. *et* 29. *c.* 10. *nu.* 16. & ita deinceps per tot ſæculorum continuatam ſeriem nos eadem Spiritus Sancti illuſtrans claritate iuxtà diuinam promiſſionem, *Io. d. c.* 14. *nu.* 16. 17. *&* 26. *c.* 15.

Digitized by Google

nu.26. & 27. c.16. nu.13. c.17. nu.21. & 22. ſi autem aliter eſſet, non ita nos docuiſſet, nec nos ſic, vt fecit, adhortatus fuiſſet, quia eſt Deus non volens iniquitatem, *Pſal.5. num. 5.* neq; in hoc nobis præbuiſſet occaſionem peccandi, quoniam nulli vnquam dedit anſam, vel ſpatium peccandi, *Eccl. c.15. nu.21.* quia nulla in Deo poteſt eſſe iniquitas, fraus, dolus, vel fallacia, *Iob c.34. nu. 10. Pſal.44. nu.8.* Si ergo dixit: quod iſte panis, & vinum iſtud ſic, vt ſupra, ſuo tranſubſtantiata verbo verum ſuum ſunt corpus, atq; ſuus verus ſanguis: ita ſit neceſſe eſt, quia eius verbum non ſit verum, impoſſibile eſt, quoniam Deus mentiatur, etiã impoſſibile eſt, ſed *eſt ſemper verax in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis. Num. c.23. nu.19. Apoſt. ad Heb. c.6. n.18. Pſal.144. n 13.* volens propterea profundiſſimum hoc ad gloriam maieſtatis ſuæ, & vtilitatem noſtram reuelare Sacramentum ante omnia auditoribus ſuis fidem propoſuit, tamquam principium antecedens neceſſarium ad cognitionem diuinorum myſteriorum aſſequendam, ad quam ſine fide quis perueniat impoſſibile eſt, quoniam, quæ Dei ſunt, ſine Deo ſciri non poſſunt, ſine Deo verò hi eſſe dicuntur, qui ſine fide ſunt, quia per fidem ad eum acceſſum habemus, *Iſa. c.64. nu. 4. Apoſt. ad Eph. c.2. nu. 12. 16. & 18. c.3. nu.12. 16. 17. & 18. ad Heb. c.11. nu.6.* fides verò cum vna ſit omnium credendorum indiuiſibilis vnitas, & credenda omnia diuinis nobis ſint ſubminiſtrata, & manifeſtata verbis, hinc eſt, quod ipſa fides ſit diuinis credere verbis, quibus credentes omnibus credenda credimus omnia, quorum cum vna ſit omnium indiuiſibilis vnitas, omnia conſequenter diuina credamus verba, neceſſe eſt, à quorum vno ſi receſſerimus, à tota dicimur receſſiſſe integritate fidei, quoniam vnum eſt indiuiſibile, *Apoſt. ad Rom. c.10. nu.17. ad Heb. c.3. nu.18. et 19. c. 4. nu. 2. Io. c.3. nu.36. c.5. nu.24. c.7. nu.7. 8. & 17. Act. Apoſt. c.2. nu.41. cap. 11. nu.14. et 15. c.13. nu.46. et 48. Eccl. c.16. nu.29. Ier. c.6. nu. 10. c.17. nu.23. & alijs allegatis.* Poſtquam ergo D. N. I. Chriſtus Hebræis auditoribus ſuis pluries dixiſſet, *Io. c.6. nu.32. 33. et 35.* Quod *ipſe eſſet panis viuus de cælo deſcendens, & dans vitam mundo*: Et eius verbis acquieſcere nollent, eorum eis exprobrans incredulitatem *nu.36.* ait: *Nonne dixi vobis, quia vidiſtis me,* (qui ſum panis iſte, de quo loquor vobis) *& non creditis*: quaſi diceret, quomodo profundiſſimum hoc fidei myſterium ſine fide intelligere vultis? *Apoſt.2. ad Cor. c.3. nu.14. 15. et 16. Iſa. d. c.64. nu.4. cap.29. nu.11. et 12.* & quomodo, quid re vera iſte ſit panis, percipere poteſtis, niſi prius ſubſtantiam, ex qua realiter con-

Digitized by Google

conſtat, credere, & cognoſcere volueritis, quæ eſt ipſum viuens corpus meum vna cum ipſa diuinitate, quam ex antecedenti neceſſario prius credatis, quam, iſte quid ſit panis, cognoſcatis? nam ſi huius panis definitio vera, eſt verum viuens Chriſti corpus vna cum diuinitate ſub ipſa panis ſpecie nobis repræſentatum, & panis iſte eſt ipſum definitum, ignorata vtiq; vel neglecta definitione, quid ſit definitum, ignotum maneat, conſequens eſt. Hebræi propterea diuino audito Chriſti nolentes acquieſcere verbo, ſed eius ſenſum propria cupientes capere intellectus virtute, quaſi ænigma ſoluendum eis propoſuiſſet, & putantes, quod de manna, quod eis in deſerto pluit Deus, loqueretur, quod facultatem vitam dandi non haberet, haud reflectentes ſic *nu.* 31. dixerunt: *Patres noſtri manducauerunt manna in deſerto, ſicut ſcriptum eſt: Panem de cælo dedit eis manducare*: Dominus propterea Ieſus Chriſtus correſpectiuis replicationibus ſic ſub *nu.* 32. 49. *et* 56. dixit eis: *Amen dico vobis: Non Moyſes vobis dedit hunc panem de cælo* (de quo loquor vobis) *ſed Pater meus iſtum vobis dat panem de cælo verum: Patres veſtri manducauerunt quidem manna in deſerto, ſed mortui ſunt: Hic verò panis* (de quo vobis loquor) *eſt, qui de cælo deſcendit, vt, ſi quis manducauerit ex eo non moriatur, iſte ergo eſt panis Dei, qui de cælo deſcendit, & dat vitam mundo.* Audientes autē Hebræi, quod, ex hoc qui manducaret pane, non moreretur: à Chriſto illum petierunt ſub *nu.* 34. dicentes: *Domine ſemper nobis da hunc panem*: quo audito Dominus eis apertè *nu.* 35. *&* 51. ait: *Ego ſum panis iſte vitæ: ego ſum*, inquam, *panis viuus, qui de cælo deſcendi, ſi quis ex hoc* (quem vobis, me ipſum oſtendens, demonſtro) *manducauerit pane viuet in æternum*; & ne quis vmquam dubitare poſſet, quod huiuſmodi ſui ipſius comeſtio non realis, ſed figuratiua eſſet *nu.* 52. ſubiungens ait: *& panis, quem ego dabo, ipſa erit caro mea, quam ego dabo pro mundi vita*: ex quo manifeſtiſſimo dicendi genere Hebræi nullam amplius habentes dubitationē, quod non loqueretur de carne ſua realiter ab hominibus comedenda, tantūmodo *nu.* 53. inter ſe quærere cœperunt: quomodo ille poſſet carnem ſuam dare ad manducandum: Chriſtus verò priorem ſuum confirmans ſermonem, vt tantò magis in mentem eorum hanc confirmaret veritatem, ſic *nu.* 54. 55. *et* 56. iureiurando dixit: *Amen, amen dico vobis: Niſi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius ſanguinem non habebitis vitam in vobis: Qui verò manducat meam carnem, & bibit meumſanguinem habet vitam æternam*: (noſque in eadem magis confirmans veritate) ait: *Caro enim mea verè eſt cibus, & ſanguis meus*

 eſt

Digitized by Google

eſt verè potus : Qui verò manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, (hoc habet emolumentum , quia hac methodo , & via) *in me manet , & ego in illo.* Adeo vt prædicta omnia ita clara , & manifeſta maneant , vt nulla penitus remaneat difficultas , reliquum ergo erat, vt nos de modo doceret , quo carnem ſuam daturus eſſet ad manducandum , & ſanguinem ad bibendum . Et , cum vltimam faceret cœnam cum Diſcipulis , *illis cœnantibus accepit Ieſus panem , & benedixit , & fregit , deditq; Diſcipulis ſuis , & ait : Accipite , & comedite : Hoc eſt corpus meum , quod pro vobis datur. Luc. cap. 22. num. 19. & accipiens Calicem gratias egit : & dedit illis , dicens : Bibite ex hoc omnes : Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti , qui pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum , Mat. cap. 26. num. 28.* Si ergo iſte panis ſic , vt ſupra , tranſubſtantiatus eſt illud idem corpus Chriſti , quod datum fuit ab eo pro ſalute noſtra : & vinum illud ſic, vt ſupra, tranſubſtantiatum eſt ille idem ſanguis Chriſti, quem ille effudit in remiſſionem peccatorum , quid amplius tibi dubitandum remanet de dicto modo, maximè cum ſe , ſuumq; corpus ſemper appellauerit panem , quia ſub ſpecie panis dictum corpus ſuum nobis daturus eſſet ad manducandum : & ſub ſpecie vini ſanguinem ſuum ad bibendum ? nam, ſi huiuſmodi tranſubſtantiati panis , & vini participatio actualis eſt corporis, & ſanguinis Domini Noſtri Ieſu Chriſti participatio,per cuius actum ipſe Chriſtus in nobis , & nos in Chriſto mutuò permanemus, permanentes, vnum cum ipſo effici dicimur , & efficimur verè non natura quidem, ſed mutuæ huiuſmodi adhæſionis vinculo , *Apoſt. p. ad Cor. c.10. nu.16. Io. d. c.6. nu.51. 52. & 57. c.17. nu. 23.* Si verò panis iſte, & vinum hoc in Chriſti non tranſubſtantiaretur corpus , & ſanguinem , vt tù falsò edoctus fuiſti , ſed purus panis , & purum vinum, prout prius erant , remanerent , illorum vtiq; comeſtione , ſeu aſſumptione actualis huiuſmodi nulla formaretur Chriſti in nobis,& noſtri in Chriſto mutua permanſio, vel vnionis adhæſio, *Apoſt. p. ad Cor. d. cap. 10. nu. 17. cum alijs ſuperius allegatis* , tum quia alterum extremorum adhærere debentium ab ipſo adhæſionis formandæ abeſſet contactu , ſecundò , quia purus panis , & purum vinum naturales ſuas non poſſent excedere, & exſuperare vires , vt naturali ſua virtute ſupernaturales producerent effectus vniendi nos cum Chriſto,quē ſub ſpeciebus illis panis, & vini nos ſumere negas,ſi verò panis iſte in verum Chriſti tranſubſtantiatur corpus , prout tranſubſtantiatur verè, ſicut eius aſſidua aſſumptione ipſius cum anima noſtra , & animæ

no-

noſtræ cum eo multiplicatur huiuſmodi permanſionis contactus,ſeu adhæſionis amplexus,ijs quoq; multiplicatis arctior noſtra fiat ſocietatis dilectio, conſequens eſt, *Cant. c.7. nu.5. Apoſt. ad Rom. c.8. nu.35. & ſeqq. vſq; ad finem cap.* Huius autem tranſubſtantiati panis, & vini ſupereminentem in ſpiritu contemplans, & admirans ſubſtantiam, *Zach. c.9. nu.17.* ait: *Quid eſt bonum, & pulchrum eius, niſi frumentum electorum, & vinum germinans virgines?* ponit autem ibi frumentum pro pane,vt nobis cōſtaret,ex qua materia panem iſtum tranſubſtantiandum fieri oporteret, ſicut, *Gen.c.49.v.11.* ſanguis Chriſti ex vino tranſubſtantiatus dicitur ſanguis vuæ, vt ex eo cognoſceremus, quod vinum in ſanguinem Chriſti tranſubſtantiandum ex vuæ materia eſſe deberet: quaſi Zacharias diceret:panis iſte electorum, & vinum germinan virgines eſt pulchrum,& bonum eius,Eccleſię videlicet Dei, de qua ſuperius ſub typo lapidum ſanctorum, ex quibus illa conſtrui debebat, meminerat, *Iſa. cap.54. nu.11. & 12.* dicens verò: quod huiuſmodi electorum panis,& vinum germinans virgines eſt pulchrum Eccleſiæ, & pulchrum vlla ſine additione, & expreſſione quod, & quale ſit, per antonomaſiam pro Domini Noſtri Ieſu Chriſti humanitate ſumendum declaratur à *Reg. Propheta Pſal. 44. nu. 3. & 5.* dum dicit: Quod *ſpecioſior eſt forma præ filijs hominum, & à Ier.c.10. nu.7. & cap.50. nu.7.* dicente: Quod *ipſe eſt decor iuſtitiæ*: & à Sponſa *Can. cap. 5. nu.10. & ſeqq.* dicente: Quod *candidus, & rubicundus electus ex millibus &c.* Bonum ſimiliter appellans vlla ſine expreſſione, quod, & quale pro diuinitate ſumendum docemur ab ipſo D. N. I. Chriſto, *Mar. cap.10. nu.18. Luc. cap. 18. num. 20.* dicente, quod ſolus Deus ſub nomine boni intelligendus eſt: Si ergo humanitas, & diuinitas ſimul D. Ieſu Chriſti Saluatoris noſtri iſte eſt panis tranſubſtantiatus, qui & panis dicitur electorum, & vinum, vinū germinans virgines, quia vtramq; electi ſub ſpeciebus panis, & vini ſumunt, ſub quibus illæ ſimul latent, nam quemadmodum ante aſcenſionem Domini Noſtri Ieſu Chriſti ad Patrem eius diuinitas, quæ inuiſibilis eſt, ſub velamine ſemper latuit humanitatis,adeo, vt nō,niſi ipſa poſſet percipi fide; ſic & poſt ſanctiſſimi huius panis, & vini tranſubſtantiati inſtitutionem ſub earumdem panis, & vini ſpecierum velamine vtraq; ſemper latuit, & latet, adeo vt non, niſi ſola fide, percipi queat, cuius inuiſibilitatis myſterium ad noſtram eruditionem attingens Pater ſic, *Iſa. cap.54. nu.14. & 15.* de Filio verba faciens loquitur: *Tantum in te eſt Deus, & abſq; te non eſt Deus: verè tu es Deus abſconditus, Deus Iſrael ſaluator:*

Digitized by Google

uator: ac etiam, *Iſa. cap.* 53. *nu.* 3. *& ſeqq. vſq; ad fin. cap. & Io. cap.* 1. *nu.* 33. *&* 34. *c.*8. *nu.*24. *Mat. cap.* 3. *nu.* 16. *&* 17. *Mar. cap.* 1. *nu.* 10. *&* 11. *Luc. cap.* 3. *nu.* 21. *&* 22. etſi panis iſte, vt dicit *Zach. vbi ſupra*, à Deo fuit conſtitutus in cibum electorum ſuorum, vt ipſi huius panis virtute ab inſidijs, & fraudibus tutarentur inimicorum ſuorum, & æternam conſequerentur vitam, *Pſal.* 21. *nu.* 5. *&* 6. *Prou. cap.* 9. *nu.* 5. *Io. d. cap.* 6. *nu.* 50. 52. *& ſeqq. ad* 58. vtiq; non purus ſit panis, ſed ipſum Chriſti corpus, quod noſtra eſt æterna vita, conſequens eſt: etſi vinum, hoc germinat virgines, non purum ſit vinum, ſed ſanguis ſit Chriſti, neceſſe eſt, quia ſolus Deus poteſt facere de immundo mundum: & de polluto impollutum, *Iob c.* 14. *nu.* 4. *Act. Apoſt. cap.* 10. *nu.* 15. *cap.* 11. *nu.* 9. *Io. p. cap.* 1. *nu.* 7.

Si ergo ea teſtimonia, quæ ſuperius ad ſanctiſſimæ huius probationem tranſubſtantiationis adduximus non humana, ſed diuina ſunt, & illa omnia ſunt ipſa veritas, & quin huiuſmodi ſint, fieri non poteſt, quia Deus à cuius veraci ore proceſſerunt, mentiatur impoſſibile eſt, *Io. cap.* 17. *nu.* 17. *Num. c.* 23. *nu.* 19. *Apoſt. ad Heb. c.* 6. *nu.* 18. & quæ qui accipiunt, in numero à Deo ſignantur, vel cooptantur eorum, qui ſanctiſſimum hunc vitæ panem manducaturi ſunt, *Io. cap.* 3. *nu.* 33. *Zac. d. c.* 9. *num.* 17. *cum alijs ſuperius allegatis*; qui vitæ panis verus ipſe eſt Chriſtus, prout eſſentialiter in ſe ipſo eſt, ipſius videlicet humanitas, cum diuinitate tota ſimul, *Apoſt. ad Coloſ. cap.* 2. *nu.* 9. *Io. cap.* 8. *nu.* 16. *&* 29. *cap.* 10. *nu.* 30. quarum vtramq; obſignauit Deus ſub vtraq; panis, & vini ſpecie, licet in memoriam oblationis corporis, & ſanguinis Domini Noſtri Ieſu Chriſti, & effuſionis illius, vtriuſq; fiat commemoratio, *Io. d. cap.* 6. *nu.* 27. 32. 48. 49. 50. 51. 52. 54. 55. *&* 57. *Luc. cap.* 22. *nu.* 19. In Domino propterea à temetipſo cognoſcere potes, quod non per prærupta præcipitia, neq; per errorum ambages, ſed per rectam veritatis ſemitam, quam Dominus noſter nobis demonſtrauit Ieſus Chriſtus, pro viribus nobis à Deo impartitis te deducere curamus; nec fallacibus vtimur medijs à Dæmone inuentis, & elaboratis, ſed veracibus à Deo nobis traditis, & commendatis. Nec te perſuaſibilibus lactare, vel delinire tentamus opinionibus, ſed ſanis Domini Noſtri Ieſu Chriſti ſermonibus commonefacere ſtudemus, vt in eius viſceribus eam reaſumere velis veritatem, à qua malè inſtructus receſſiſti, quia etſi à corpore Chriſti per ſimilitudinem ſub nomine vitis, eiuſq; membra ſub palmitum nomine in myſterio ab eo nobis repræſentato ob incredulitatem tuam, tua exciſus manſeris

cul-

Digitized by Google

culpa, & tamquam palmes ab ea ſegregatus areſcens in terra iaceas, *Io. cap. 15. num. 1. 4. & 6.* in tua tamen ſi non permanſeris incredulitate, vt dicit, *Apoſt. ad Rom. cap. 10. nu. 23. potens eſt Deus in hac ſanctâ Chriſti te iterum inſerere vite.*

Tù ergo diuinis his à Deo tibi per me, tamquam purum calamum in his ea regiſtrantem paginis, fidenter crede ſubminiſtratis verbis, quia illis vlla ſine hæſitatione credere ipſa eſt fides, illi igitur fidens fidelem te præbe, & ſuæ ſanctæ vera confeſſione fidei Altiſſimo, qui te creauit, ac pretioſo filij ſui ſanguine te redemit, dà gloriam Deo, & ſe ipſum tibi non negabit Chriſtus, quoniam *fidelis, & verax eſt in omnibus verbis ſuis, & ſanctus in omnibus operibus ſuis, Apoſt. ad Romanos cap. 4. nu. 19. & 20. cap. 10. nu. 17. ad Heb. cap. 3. nu. 18. & 19. cap. 4. nu. 2. 2. ad Tim. cap. 2. nu. 13. Pſal. 144. num. 13. & 17.* & pro huiuſmodi generoſa fidei victoria, quę mundum vincit, & illius ſancta confeſſione, quæ cœlos aperit, *Io. p. cap. 5. nu. 4. Apoſt. 1. ad Cor. d. cap. 10. nu. 10. Act. Apoſt. cap. 7. nu. 52. & 55. tibi dabit*; quemadmodum *Apoc. c. 2. nu. 17.* ſcriptum eſt: *Calculum candidum, in quo nouum eſt inſcriptum nomen, quod nemo ſcit, niſi qui accipit*, nam etſi nomina ſint inuenta ad indicandas ſubſtantias talibus inſignitas nominibus adeo, vt earum audito nomine, quæ, & qualis huiuſmodi ſit ſubſtantia, facilè intelligatur, huius tamen calculi ſubſtantia, cum ſit panis iſte tranſubſtantiatus, hoc eſt Chriſtus ſub ſpeciebus panis, & vini abſconditus, conſequenter etiam non, niſi ipſa poterit percipi fide, cuius noui nomen eſt Emmanuel, quod ſignificat nobiſcum eſt Deus, quomodo autē nobiſcum ſit non, niſi accipientibus innoteſcere poteſt, quia à ſupernaturalibus duntaxat effectibus, qui ab hoc tranſubſtantiato pane animabus noſtris inuiſibiliter impartiuntur, cognoſci poteſt, nam per illius participationem corporis, & ſanguinis ipſe in nobis, & nos in ipſo manemus, manentes eius ſupernaturalia cognoſcimus dona, quia à ſe horum velut theſauro in nobis manēte in nos effluunt, ideo non niſi accipientibus nota eſſe poſſunt, niſi ex diuina reuelatione, *Iſa. cap. 7. nu. 14. Mat. cap. 1. nu. 23. Luc. c. 2. nu. 31. & 32. Io. d. cap. 6. nu. 57. Apoſt. 1. ad Cor. cap. 10. nu. 17. & 2. ad eoſdem cap. 4. nu. 7.* & iſte idem eſt calculus ille, quo ante tempus in figura reuerenter de altari accepto Iſaiæ Seraphim tetigit labia, vt eius ſupernaturali virtute ex pollutis impolluta fierent, quod efficere diuinum eſt opus, ad hoc, vt dignus diuini euaderet prædicator verbi, *Iſa. cap. 6. nu. 6. Iob cap. 14. nu. 4.*

Si ergo D. N. Ieſus Chriſtus proprio dixit ore: Quod panis iſte tran-

tranſubſtantiatus ſuum eſt verum corpus datum pro ſalute noſtra, & ſuus verus ſanguis pro redemptione mundi effuſus: & ſcis, quod Deus mentiatur impoſſibile eſt, & quod eius omne verbum eſt veritas, cui credere ipſa eſt fides, ſine qua ei placere non poſſumus, eius nec membra effici corporis, extra quod nemo ſaluus eſſe poteſt; & quod vera ſapientia eſt diuino acquieſcere verbo, cui qui non acquieſcit, inſcius, & indoctus eſt, ei cur non acquieſcis? *Luc. cap. 22. nu. 19. Apoſt. ad Rom. cap. 10. nu. 17. ad Heb. cap. 3. nu. 18. & 19. cap. 4. nu. 2. cap. 6. nu. 18. cap. 11. nu. 6. cap. 12. nu. 25. P. ad Tim. cap. 6. nu. 3. & 4. Num. c. 23. nu. 19. Io. cap. 6. nu. 45. cap. 17. nu. 17. Iſa. cap. 41. nu. 11. & 12. cap. 60. nu. 11. & 12. cum alijs ſuperius allegatis, & infinitis, quæ allegari poſſent.*

Memor ergo ſis, oportet, vnde excideris, & pœnitentiam agas ea ſancta rea ſumens priora, quæ dereliquiſti catholicæ Eccleſiæ dogmata: & audias quid ipſa in myſterio dicat ſapientia, quæ Chriſtus eſt, qui ſibi ædificauit domum, in qua ſeptem excidit columnas, & ſuas immolauit victimas, hoc eſt, carnem, & ſanguinem, quos Patri obtulit pro ſalute noſtra, eoſq; in menſam nobis proponens miſit ancillas ſuas, hoc eſt prædicatores ſuos, vt vocarent nos ad hoc ſacrum Conuiuium dicens: *Si quis paruulus eſt veniat ad me*: & inſipientibus locuta eſt: *Relinquite infantiam, viuite, & ambulate per vias prudentiæ: Comedite panem meum, & bibite vinum meum, quod miſcui vobis*, hoc eſt corpus meum, & ſanguinem meum, quod, & qui eſt bonum illud, quod vobis paraui, vt in vbertate, & craſſitudine ſupernaturalium donorum meorum impinguetur anima veſtra, & viuatis, *Apoc. cap. 2. nu. 5. Prou. cap. 9. à nu. 1. ad 7. Apoſt. 1. ad Cor. cap. 2. nu. 7. Iſa. c. 55. nu. 2.* Ne ſuſtineas, quod de te dicatur, quod *Eccl.* ſcriptum eſt *cap. 6. nu. 21. 22. & 23. Sapientia eſt nimium indoctis hominibus aſpera, in illa non permanebit excors, erit enim quaſi lapidis virtus probatio in illis, & non demorabuntur proijcere eam: Quibus verò cognita erit, permanebunt in ea vſq; ad conſpectum Dei.* Te ipſum ergo non præbeas indoctum, quoniam dedecus eſſet, ſed doctum præbe, & ſermoni diuino acquieſcens cognoſces veritatem, & veritas liberabit te, *Apoſt. 1. ad Tim. d. cap. 6. nu. 3. & 4. Io. cap. 8. nu. 31. & 32.* magna enim ſtultitia eſt pro humano diuinum deſerere verbum, & pro homine Deum, atq; pro complemento huius exhortationis; Audi verbum Domini: *Verbo Domini qui non crediderit, condemnabitur, & ira Dei ſuper illum manet in eodemq; verbo,* cui credere noluerit, *tamquam gladio biſacuto tranſuerberabitur, Mar. c. 16.*

Digitized by Google

cap.16.nu.16. Io. cap.3.nu.36. cap.12.nu.48. Apoc. c.1.nu.16.c.2.nu.16. Iſa. c.11.nu.4. Apoſt.2. ad Theß. c.2.nu.8. Mich. c. 5.nu.14.

Cæterum his, quæ meis deſunt ſcriptis, diuini ſuppleat virtus, & efficacia verbi, infinitaq; huius tranſubſtantiati omnipotentia panis, quibus vera in omnibus ſemper noſtra correſpondeat fides, ſpes, timor, amor, honor, obedientia, cultus, ſubiectio, & humilitas, ab omnibuſq; inceſſans ſemper reddatur laus, gloria, & gratiarum actio in æternum, & in ſæcula ſæculorum.

Amen.

Digitized by Google

D. Inuentius Tortus Cler. Reg. S. Pauli Pœnit. pro Eminentiſs. & Reuerendiſs. D. D. Hieronymo Boncompagno Bononiæ Archiepiſcopo, & Principe.

Imprimatur.

F. Paulus Hieronymus de Garrexio Sac. Theologiæ Mag. Ord. Prædicat. & Vic. Generalis S. Officij Bononiæ.

Digitized by Google